


BANGII
NATURALIS
SCIENTIA












BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

Compendium

NATVRALIS SCIENTIÆ;

EX OCTO LIBRIS PHYSICÆ AVscultationis ARISTOTELIS, & aliis Philosophis decerptum, & in celeberrima VVitebergensium Academia disquisitum

à

M. CAROLO GAEORGIO BANGIO, Dano.

Huic, ejusdem operâ & studio, succinctæ quæstiones de Elementis, *Elementorum qualitatibus, mixtione & permutatione, ex libris de Cœlo, generatione, & corruptione: item quæstiones meteorologicæ ex libris de meteoris, item scitu dignæ quæstiones de Partibus hominis ex clarißimi & Doctißimi Dn D. Philippi Melanchthonis Libello de Anima collecta, accesserunt.*

Ecclesiast. cap. I.
Nihil sub Sole nouum.

Agapetus Iustiniano Cæsari:
Primum & præcipuum hominis præceptum est seipsum cognoscere.

Compendium hoc physicum emi 14 ß Haffniæ Ao. 1604

VVITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii.
M. D. XCIX.

Magnipotens Laborem Beaturus.

MAGNIFICIS ET GENE-
ROSIS VIRIS, PIETATE, DOCTRI-
NA ET VIRTVTE PRAESTAN-
TISSIMIS:

Dn. ARNOLDO HVITFELDIO, Regni Daniæ Cancellario:
Dn. HENRICO RAMELIO, Regni Daniæ Senatori, & Ecclesiæ Cathedralis apud Lundenses Præposito:
Dn. LAGONI VVRNE, de Belteberga, totiùs Schaniæ LegisLatori:
Dn. PETRO BRAHE:
Dn. ANDREÆ DRESSELBERGIO:
Dn. GVILHELMO DRESSELBERGIO, eiusdem Ecclesiæ Cathedralis apud Lundenses DECANO:
Dn. SIVVARDO GRVBBIO, Regis Daniæ Secretario:

Nec non

CLARISSIMIS ET DOCTISSIMIS VIRIS:

Dn. M. MAGNO MATTHIÆ, Schanicæ diœcesis Superintendenti vigilantissimo:
Dn. M. IOHANNI MICHAELIO, Ecclesiæ eiusdem Cantori, & Regiæ Scholæ Sorensis Præsidi fidelissimo:
Dn. M LVDOVICO MVNTHE, eiusdem Ecclesiæ Archidiacono:
Dn. M. CHRISTIANO NICOLAO:
Dn. CHRISTOPHORO HOLSTIO:
Dn. GEORGIO MICHAELIO:
Dn. M. PETRO LAVRENTIO:
Dn. LAVRENTIO CASPARO:
Dn. M. AVO[illegible] NICOLAO:
Dn. M. OLAO STISONIO:
Dn. M. CONSTANTINO BALTHASARO:
Dn. M. THOMÆ GVILHELMO:
Dn. M. MATTHIÆ MAGNO:
Dn. M. IACOBO SVANINGIO:
Dn. PETRO LAVRENTIO:



Dominis PRÆLATIS ET CANONICIS *Lundensibus, Dominis & Patronis suis debita obseruantia animiq; submißione plurimùm colendis.*



Tsi ζητήματα hæc Physica luce indigna iu-
*dicarim, tamen amicorum meorum & Populari-
um desideratiß. qui hæc apud me priuatim disqui-
siuerunt, precibus, quibus deesse nefas duxi, victus,
accedentibus suffragiis Clariß. & Doctiß. virorum
Dn.* VVOLFGANGI FRANZII, *SS. Theo-
logiæ Doctoris, & pro tempore Collegij philosophi-
ci in inclyta Academia VVitebergensi Decani spectatißimi, & Dn.*
GÆORGII VVECKERI, *Medicinæ Doctoris præstantißimi, &
physices Professoris publici, eu publicis typis excudi passus sum,
non quòd ex ijs laudem aliquam venari, sed potiùs intimorum
meorum studijs inseruire cupiam. Sperans igitur ea non tam iniquos
Aristarchos, quàm propitios Deos & fautores repertura. Si enim a-
licui quippiã emolumenti attulerint, non mihi, sed* ARISTOTELI,
*eiusq; interpretibus, quorum opera usus sum, acceptum feratur. Ve-
rùm cùm ijs Patroni contra inuidorum maledicta quærendi mihi
essent, vestræ Generositates & dignitates multis annis optimè de me me-
ritæ mihi oblatæ sunt. Quæstiones ergo has concisas VV. G. & dignita-
tibus à me nuncupatas & consecratas, clementi & beneuolo ut susci-
piatis animo etiam atq; etiam rogo. Quod si impetrauero, aliquan-
do maiora sub VV. G. & D. nomine diuulgare studebo. Deum opt.
max. totius Naturæ & rerum omnium naturalium autorem & con-
seruatorem precabor, vt V. G. & Dignitates quàm diutißimè in sui
nominis gloriam, Ecclesiæ & Reipub. emolumentum incolumes conser-
uare velit. VViteberge ex meo Museo 8 Februar: Anni Christi 1599.*

VV. Gen. & Dign.

Obseruan: & Studiosiss:

M. Carolus Gæorgius Bangius,
Eustadiensis, Schanus.

Ad quas respondit
NOBILIS CLAVDIVS GAGGE, DANUS, post reditum ex Italia & urbe Roma.

Caput I.

Zabar. lib. 1. cap. 6. Snell. lib. 1. c. 1. Bodin. lib. 1. theat. Natur. Arist. phys. lib. 1. c. 1. & lib. 2. c. 5. Velcur. lib. 1. c. 1. Et in præfat. lib. 4. Lieblerus lib. 1. Zabar. lib. 1. Tolet. lib. 1.



Vid est Physica? R. Est rerum naturalium scientia.

Quid est res naturalis? R. Quæ ex materia & forma constat, ut cœlũ, elementa, & quæcunque sub iis mixta sunt, siue animata, siue inanimata sunt.

Quódnam est subiectum Physicæ? R. Corpus naturale mobile, h. e. quod motui & mutationibus obnoxium est, vel secundum totum, vel secundum partem aliquam.

Quid significat Motus? R. Mutationem vel secundum substantiam, vel secundum accidens.

Quomodo differt Physica à Metaphysica? R. Physica versatur circa res naturales, corporeas, mutationi obnoxias. Metaphysica verò circa res supernaturales, incorporeas, & spirituales, à motu & mutatione prorsus immunes.

Caput II.

QVid tractat Aristoteles libro primo Physicorum? R. de principiis rerum naturalium.

Quid sunt principia? R. Sunt, ut definit Aristot. eodem libro cap. 5. quæ neque ex sese mutuo, neq; ex aliis fiunt, sed ex iis omnia esse oportet.

Arist. lib. 1. c. 5. Velcur. lib. 1. c. 14.

Quot sunt principia rerum naturalium, secundum Aristotelem? R. Tria: Materia, Forma, Priuatio. Arist. lib. 1. phys. cap. 5. Velcur lib. 1 c. 14. Liebl. lib. 1. c. 6. Titelman. lib 1.

Sunt illa tria principia in omnibus naturalibus corporibus? R. Minimè, Materia & forma locum habent in corporibus cœlestibus & elementaribus: Priuatio verò tantùm in elementaribus. Velcur. lib. 2. c. 25. caussam cur principia Elementis priora excogitata sunt, citat.

Habent corpora cœlestia materiam aliquam? R. Maximè, quia non sunt formæ à materia separatæ seu actu intelligibiles.

Agnoscunt ne priuationem? R. Non, quia nullas vices generationum & corruptionum experiuntur, sed illam formã, quam eorum materia semel suscepit, retinent quamdiu hic mundus durârit. Hermolaus Barba. lib. 1. Seidel. lib. 1. c. 1. Gocl. in suis disputat. phys. vide Toletũ lib. 1.

Fitne mentio istorum principiorum in sacris literis? R. Maximè. Per vocem cœli, terræ & lucis, materia & forma substantialis corporum cœlestium & elementarium intelliguntur, Gen, 1. cap.

Caput III.

QVid est materia? R. Est, ut definit Aristoteles, subiectũ primum vnicuique, ex quo fit aliquid tanquã ex eo, quod inest, & non secundum accidens, & in quod res ad vltimum resoluitur. Arist. lib. 1. Zabarel. lib. 1. de Materia Velcur. lib. 1. c. 14. Lieblerus lib. 1. c. 8 Rodolph. Agricol. lib. 1. c. 9. Philip. lib. 2. Titel. lib. 1. cap. 6. Seidelius lib. 1. c. 3. Hermolaus Barb. lib. 1. c. 5. Gocl. in suis disputat. phys.

Quotuplex est materia? R. Duplex: Alia est propinqua seu secunda: Alia est remota seu prima.

Quid est propinqua? R. Est, quæ ita vicina est illi rei, quæ ex illa nascitur, vt ex ea statim producatur nullis aliis interuenientibus generationibus, & vt ex ea vnũ aliquid tantùm nasci possit, vt ex ouo gallinæ tantùm pullus excluditur.

Quid est materia remota? R. Est ea, cujus ratione quodliber fit ex quovis, quæ omnes vicissim recipit formas: sed non statim fiunt illæ mutationes, aut subitò, sed interuenientibus multis mutationibus.

Vide Bodini theat. Natur. lib. 1. Casman. lib. 1. c. 2, 3, 4, 5, 6, 7.

Quot sunt proprietates materiæ primæ: R. Quatuor. Prima est, quòd materia prima per se est ingenerabilis & incorruptibilis. 2. quòd sit insensibilis & sola imaginatione perceptibilis, ideo Arist. 7. Metaph. dicit· Materiam primam nec esse quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid corũ, quibus res naturalis est determinata. 3. Per sese absoluta & completa οὐσία non est, cùm sit sua natura ἄμορφος. 4. Materiæ primæ proprium est pati, vt præparetur ac subigatur ad recipiendas formas naturales, substantiales, & accidentarias.

Quis est materiæ vsus? R. Materia necessaria est propter motum, & multiplices formarum mutationes, quæ sine materia fieri nequeunt. Deinde motiones & passiones quæuis, rebus naturalibus non ratione formæ & priuationis, sed ratione materiæ insunt.

Caput IV. De forma.

Aristot. lib. 1. Zabarel. de constitut. naturalis scient. Velcur. lib. 1. c. 15. Titel. lib. 1. cap. 12. Lieb. lib. 1. Philip. lib. 2. Hermo. bar. lib. 1. c. 7. Seidel. lib. 1. cap. 4. Bodin. lib. 1. theat. Casm. lib. 1, c. 2. Toletus de princ.

QVid est forma? R. Est, vt definit Aristoteles, quod rei naturali esse confert.

Quotuplex est forma? R. Duplex, substantialis & accidentalis. Substãtialis vel est corporea, vel incorporea.

Quid est forma substantialis incorporea? R. Est, quæ omnis materiæ expers est, vt formæ Angelorum, & intelligentiæ cœlestis, de qua forma hîc non disseritur.

Quid est substantialis corporea? R. Ea modò definita est: i. e. quæ cùm materiæ actu & præsens inest, facit vt res dicatur substantia esse, & vt à quacunq; re alia essentialiter differat, vt forma hominis, Leonis, equi, vrsi, arboris, &c.

Quotuplex est corporea forma? R. Duplex: Naturalis & artificialis. Naturalis est, quæ rebus naturalibus & corporeis inest, quarum principium est à natura, vt forma hominis, equi, piscis, auis, arboris, pomi, oui, ossis. Artificialis

cialis est, quæ rebus artificialibus inest, quarum principium est ab artifice, vt forma domus, horologij, Canthari, mensæ, cultri, securis.

Quid est forma accidentalis? R: Est, quæ substantiam adiuncto aliquo exornat, vel deformat, vt sanitas, morbus, pulchritudo, deformitas, virtus, vitium, calor, frigus. &c.

Quot sunt proprietates formæ? R. Forma est principium actiuum, formans & perficiens materiam, eodem temporis momento cum materia operans, ad corporis compositionem. Deinde vt materia in oculos non incurrit, ita neque forma, & in quouis corpore est vltimus ornatus, quo res consistit & conseruatur, ciens & efficiens actiones suæ naturæ congruas, & à cognatis speciebus differens.

Quid præterea de forma notandum? R. Quòd forma præstantior materia & priuatione sit, cùm priuatio nihil sit, materia verò est caussa omnis mutabilitatis, forma autem stabilitatis & perfectionis.

Caput V. De priuatione.

QVid est priuatio? R. Est carentia eius formæ, quæ in materia recipi potest.

Estne priuatio negatio? R. Nō est absoluta negatio, sed negatio in subiecto habili, hæc enim facit, vt materia omnium formarum capax sit. Eius autem formæ, quæ in materia recipi non potest, nulla est priuatio, sed negatio: vt lapis non est priuatiuè, sed negatiuè cæcus, quia visus lapidi inesse non potest, nec ab eo expetitur. Cæcitas hominis non est negatio, sed priuatio

Si priuatio non est absoluta negatio, quid tum significat? R. Habilitatem, seu aptitudinem in materia significat, per quam forma adesse potest, & natura expetitur.

Arist: lib. 1. cap. 6. Zabarel. lib. 1 Velcur. lib. 1. cap: 16. Lieb: lib: 1. cap: 8. Phil. lib. 2. Phys. Titel: lib: 1. cap: 12. Hermol: Bar: lib: 1. c. 6. Seid: lib: 1. cap: 5. Goclenius in disp: phys: Bod. in theat: lib: 1. Vide Tol: de princip. lib. 1.

Cur

Cur priuatio inter principia recensetur, cùm sit defectus, τὸ verò vis gignendi? R. Propter duas caussas: Prima, Appetitus materiæ necessariò tribuendus est, nisi enim materia formas appeteret, nulla earum cum materia coiret. Deinde materia formam amplexa perpetuò eandem retineret, nisi in materia esset defectus formarum, quas materia naturaliter appetit.

Quomodo principia inter se differunt? R. Materia est, & dicitur principium pasiuum: Forma verò actiuum. Deinde materia & forma dicuntur principia substantialia, quia rem naturalem constituunt, & eius substantiam complent & perficiunt. Priuatio verò dicitur accidentarium, quia est proprium materiæ accidens, nec manet in corpore composito, sed quamprimùm forma fuerit materiæ indita, omnino perit & euanescit.

Possunt ne elementa dici principia rerum naturalium? R. Possunt, sed non prima principia, quia habent subiectum se prius, sed secunda.

Caput VI. De variis Philosophorum opinionibus de principiis.

Arist. lib. 1. c. 2, 3, 4. Zabar, lib. 1. Vel, lib. 1. c. 12, leib. lib. 1. c. 1, 2. & 3. Phil. lib. 2.

Q*Vot principia statuerunt Melissus & Parmenides?* R. Vnũ, nempe Deũ, quod liquet ex libris 5 & 6. c 8. Aristotelis, ubi sic ait: Omnium primum principium esse principium primò mouens, immobile, unum, æternum.

Quot Thales Milesius? R. Ipse omnia ex aqua ortum habere dixit; Sicut Anaximenes aërem, Archelaus Apollodori terram, & Heraclitus ignem omnium rerum naturalium principium constituit, & omnia in eundem rursus resolui asseruit.

Quot Stoici statuerunt? R. Duo, λόγον & ὕλην.

Quot

Quot Poëtæ? R. Duo, Deum & Chaos.
Quot Empedocles? R. etiam duo, Litem & amicitiam.
Quid vocauit Litem? R. Qualitates inter ſe pugnantes.
Quid amicitiam? R. Qualitates inter ſe conſentientes.
Qualia principia Democritus habuit? R. Componit Mundum ex atomis, & hos ait ſubinde ruere, & propterea ſubinde alios mundos naſci, & eoſdem occidere.

Quæ ſunt principia ſecundū Epicurum? R. Ipſe fortunam omnia gubernare dicebat, & vniuerſa ex atomis & corporibus impartibilibus conſtare, & ipſum Mundum.
Quot ſtatuit Plato? R. Tria: Deum, Materiam, & Ideam.
Quot Empedocles & Medici? R. Quatuor Elementa, ignem, aërem, aquam, terram, rerum omnium phyſicarum principia conſtituerunt.

Quid de his cenſes, qui unum principium ſtatuerunt? R. Vnū tantùm eſſe rerum naturalium principium concedi nequit. Nam id, quod unum eſt, ex ſe aliud procreare nequit: ſi aliud producat, unū non eſt reuera: Deinde omnis actio eſt inter contraria: unico principio nihil erit contrarium, nulla ergo ex eo actio, nulla generatio ſequetur. *Vide ſuprà citatos autores capitibus dictis.*
Súntne infinita principia? R. Nec illud dici poteſt, infinita eſſe principia ſeu numero ſeu magnitudine, quia nulla magnitudo actu infinita eſt: Si infinita eſſent principia, ſequeretur, res ex iis natas infinitas eſſe, ſed nulla res naturalis infinita eſt, ne Mundus quidem. Ergo. Denique ſi infinita eſſent principia, mente ac ſcientia hominis intelligi & cognoſci non poſſent, quia ſecundum Ariſtot. Metaph. cap. 2. & 12. infiniti nulla eſt ſcientia: ita nulla eſſet rerum naturalium cognitio.

Quid nobis in his ſubtilibus tenendum? Reſpondet Melanchthon, hoc nos tenere oportet, quòd corpora mixta ex *Phil. lib. 2.*

Elementis composita sunt, nec curiosè aliam materiam priorem quæramus.

LIBRI II. QVAESTIONES,

Respondit

IANUS GAEORGIUS STAFVANGRIUS, Nortuegus.

Caput I.

Arist. lib. 2. c. 1. Zabarel. lib. 1 De natura. Velcur. lib. 1. c. 6. Vide Toletũ.

QVid post principia in Physicis tractandum? R. De Natura. *Quot modis accipitur vocabulum Naturæ?* R. Præcipuè quinq; modis: 1. Pro naturali intelligentia, vt cùm dicitur: vniuersalia magis sunt nota naturâ, quàm particularia. 2. Pro via in naturam, vt ex ouo columbæ naturâ fit pullus columbæ. 3. Pro virtute rebus naturalibus insita, vt natura piperis est calefacere, papaueris frigefacere. 4. Pro tota rei essentia, vt natura hominis est corrupta. 5. Pro materia & forma accipitur, materiæ est pati, formæ agere.

Arist. lib. 2. cap. 2. Zabar. lib. 1. cap. 1. Velcur. lib 1. cap. 6. Lieb. lib. 1. c. 1. Seid. lib. 1. c. 6. Philip. lib. 2. Goclen. in disp. phys. Lieb. lib. 1. cap. 1. Lieb. lib. 1. c. 6.

Quid est Natura? R. Est principium & caussa motus & quietis in re naturali, cui primo per se, & non secundum accidens inest. Arist. lib. 2. cap. 1.

Quare natura dicitur principium & caussa motus & quietis? R. Quia ipsa rebus, quibus inest, ex materia & forma compositis, aptitudinem & habilitatem confert, vt certos motus & status in se recipere possunt.

Quomodo differunt inter se habere naturam, naturâ esse, secundùm naturam esse, contra naturam esse, supra naturam esse? R. Naturam habere dicuntur ea, quæ tale principium iam descriptum, motus & quietis sibi insitum habent. Naturâ esse, & secundum naturam esse eodem modo dicuntur, nem-

nempe eæ proprietates, quæ ſubſtantiis per ſe inſunt, ac rei naturalis conſtitutionem ſequuntur: vt motus leuium ſurſum, grauium deorſum. Sic valetudo bona naturâ, & ſecundum naturam corpori ineſt. Contra naturam dicuntur ea, quæ naturam deſtruunt, vel aliquo modo ei nocent: aut quæ naturæ principijs & inclinatione non oriuntur, vt motus aquæ ſurſum eſt contra naturam. Præter naturam dicuntur, quæ à principio aliquo diuiniore, quàm ſit natura, fiunt, vtpote ab Angelis aut à Deo, vt ambulatio Chriſti ſuper aquam. Philip. lib. 2.

Quotuplex eſt natura? R. Duplex. Infinita, quæ eſt prima cauſſa rerum omnium, h. e Deus juuans & fouens naturam finitam. Alia finita. Velcur. lib. 1. cap. 2.

Quotuplex eſt finita? R. Duplex. Vniuerſalis & Particularis. Vniuerſalis eſt vis cœli & Aſtrorum, à qua inferior natura fouetur & gubernatur. Particularis verò, eſt, quæ rebus ſingularibus ineſt.

Quod eſt proprium Naturæ? R. Eſt naturalem formam materiæ inducere, & corruptâ priori forma aliam eidem materiæ indere.

Quid Stoici vocant Naturam? R. Ignem artificioſum certa ratione & arte ad gignendum progredientem.

Quid Medici vocant Naturam? R. Totam ſubſtantiam & temperiem, quæ ex primis conflatur Elementis. Gal. lib. 3. de temperamentis c. 3.

Quid in Eccleſia propriè vocatur Natura? R. Tota illa vis & facultas, quæ vnicuique ſpeciei in prima creatione à Deo ad certos fines & actiones tributa eſt, ipſi placentes & ad ordinem in mente diuina congruentes, oſtendentes Deum autorem & inſpectorem totius naturæ, & cauſſam boni in natura eſſe. Philip. lib. 2. Velcur. lib. 1. cap. 8.

Liebl. lib. 1. Seidel. lib. 1. cap. 6. Philip. lib. 2.

Quomodo differunt Natura & res Naturalis? R. Res naturalis est subiectum. Natura verò aliquid in subiecto. Deinde Natura est caussa. Res verò naturalis est naturæ effectum, ut aurum, argentum, animal.

Quomodo differunt res Naturalis & Artificialis? R. Res naturalis est, quæ habet suam formã & essentiam à natura. Artificialis est, quæ habet suam formam ab arte & consilio artificis, ut horologium, Cithara. Deinde res naturalis per se, semper, eodem modo & inuariabili natura habet eandem suam materiam. Res verò artificialis suam materiam per accidens habet, h. e. non semper eandem, sed variam.

Quomodo differunt Natura & Ars? R. Etsi ars naturæ æmula est, tamen sciendũ, eas discerni duobus modis: 1. Natura generat substantias, & est earũ caussa motus & quietis. Ars autem non substantias, sed in his dispositiones aliquas solummodo efficit. 2. Natura est caussa naturalis. Ars verò voluntarijs accensetur.

Caput II. De caussis.

Estné Physici officiũ de caussis agere? R. Maximè, Quia Physici finis est veri cognitio, quæ sine caussarũ explicatione esse nequit. Tum enim vnamquamque rem intelligimus, cùm eius caussas cognitas habeamus. Cicero inquit: Nihil turpius Physico esse potest, quàm quicquam sine caussa fieri dicere.

Arist. lib. 2. cap. 3. Zabar. lib. de constitut. scient. Nat. Velcur lib. 1. cap. 18.

Quid est caussa? R. Est, ad quam effectum sequitur.

Quotuplex est caussa? R. Duplex, Caussa per se, & per accidens. Per se est, ad quam per se & propriè sequitur effectus. Per accidens est, cui per accidens effectus aliquis adiungitur.

Quot

Quot sunt caussæ per se? R. Quatuor: Materialis, formalis, Efficiens & Finalis. Lieb. lib. 2. c. 3. Schegkius lib. 1. Tolet. lib. 2.

Quomodo discernuntur caussæ per se? R. Materia & forma dicuntur caussæ internæ, quia sunt partes rei constitutæ. Efficiens verò & finalis dicuntur externæ, quia sunt extra rem constitutam.

Quid est caussa materialis? R. Est, ex qua cũ aliquo fit aliquid: Nam rerum naturalium materia est, ex qua cum forma fit compositum: vt ligni materia, cum forma ignis in eam introducta, fit ignis. Phil. lib. 2. phys. Hermol. Bar. lib. 1. c. 9.

Quomodo differunt materia & subiectum? R. Materia dicitur propriè rerum, quæ fieri possunt, & debent. Subiectum verò rerum jam factarum.

Cur Physicus materiam considerabit? R. Quia Physici est de corpore naturali mobili disputare, quod est compositum, idcirco eius partes ignorare non debet, inter quas est materia.

De qua materia hîc loquitur? R. Hîc non de prima materia & remotissima loquitur Physicus, sed de cuiusq; rei propinqua.

Quid est caussa formalis? R. Est, per quam res esse habet: Nam præsente forma res est, & absente eadem res amplius non est.

Quare Physicus considerat formam? R. Quia ipsa quamlibet rem absoluit & perficit, vt & sit, & ab aliis rebus differat, & cognosci ac definiri queat. Potior ratio habenda est formæ, quàm materiæ, quia species & essentias in subiecto constituit.

Quid est efficiens caussa? R. Est, à qua primum principium mutationis & quietis fit.

Nónne materia & forma possunt esse sine caussa efficiente? R. Ne-

 qua-

quaquam. Nam efficiens caussa est, quæ ex materia & potentia producit formam in actu.

Quare Physicus de efficiente agit? R. Quia ipsa certo naturæ ductu omnia producit, atq; mouet, cùm nihil seipsum moueat, & caussa est, vt non quodlibet fiat temerè ex quolibet, sed certum ex certo.

Quid est caussa finalis? R. Est, cujus gratia aliquid fit, vt exercitium fit sanitatis caussa.

Quare de fine dicendum? R. Quia in omnibus rebus finis spectari præcipuè solet, præstátque, vt nihil temerè instituatur aut fiat.

Agit ne natura propter finem? R. Maximè. Natura enim nihil agit frustrà, quia res præcipuè in natura ordinatæ sunt & appetunt certos fines.

Cùm natura de ijs, quæ agit, nec deliberat, nec consultat, non potest dici agere propter finem? R. Dictum illud, Naturam propter finem agere, dextrè intelligendum est, nempe species in vniuersa natura consilio Dei ordinatas esse ad certum finem.

Cur Democritus & Epicurus fingunt, omnia casu extitisse? R. Quia sæpe monstra nascuntur.

Caput III. De Monstris seu Prodigiis.

QVid vocas Prodigia? R. Species natas præter visitatum naturæ ordinem, quæ aliquid plerumque significant seu prædicunt.

Philip. lib. 2. Herm. Barb. lib. 1. c. 16.

Quot sunt genera Prodigiorum? R. Quatuor: Spectra, ostenta, Monstra & Meteora.

Quid sunt Spectra? R. Sunt species certæ offerentes se hominum oculis, quæ aliàs sunt boni, aliàs mali Angeli.

Sunt ergo reuera Spectra aliqua? R. Maximè. Nam experientia vniuersalis, & historiæ conuincunt Spectra esse,

quæ

quæ non ab antecepta in animo imaginum conformatione existunt, sed reuera hominibus offeruntur tum à bonis, tum à malis angelis, qualia Dioni & Bruto oblata. Plutarch. in vita Dionis & Bruti. Vide Lauaterum de Spectris. c. 12, 15, & 16.

Poteris ne testimoniis sacrarum literarum confirmare, spectra esse? R. Maximè. Matth. 18. legitur de discipulis Christi, quòd cùm Christum viderint, perturbati clamârint, Spectrum se vidisse autumantes: Christus rediuiuus discipulis suis apparens, eísque Spectrum se videre putantibus dixit, Spiritus carnem & ossa non habet: plura lege Daniel. cap. 5. Et 2. Machab. 3. de Heliodoro. Et 2. Machab. 10. de Iuda Machabæo.

Illa Spectra utrum sunt animæ vel corpora defunctorũ? R. Animæ hominũ non sunt, quia illæ vel sunt in manu Dei, vel sunt in tormentis. Corpora neq; sunt, quia illa putredini obnoxia sunt, vt ex se vel per diabolum viuificari nequeāt. Sap. 3.

Quid tum sunt? R. Sunt diaboli φάσματα seu imaginariæ illusiones machinationibus diaboli factæ, vel est ipse diabolus ementita specie, quam sibi assumit, apparens.

Quid sunt ostenta? R. Sunt res inusitatæ: quæ prorsus præter naturæ ordinem fiunt in aëre, aut in terra, aut in animantibus. Sic appellantur, quia aliquid ostendunt.

Intenduntur ne Spectra & ostenta à Natura? R. Non, sed consultò fiunt tum à bonis, tum à malis Angelis, & interdum immediatè ab ipso Deo.

Quid sunt Monstra? R. Sunt formæ abhorrentes à figura suæ speciei, quæ nascuntur aut in plantis, aut in animātibus. Sic dicta, quia aliquid monstrant. Vocantur portēta, si in hominũ specie accidunt, quia aliquid portendũt. Velcur. lib. 1. c. 10. lib. 2. c. 26. Titel. lib. 2. c. 24.

Quid sunt Meteora? R. Sunt impressiones, quæ in aëre & in vicino Elemento fiunt, & plerumque aliquid de humanis euentibus significant.

Habent.

Habentne Monstra & Meteora caussas physicas? R. Maximè. Nam Monstra ex vario materiæ fluxu fiunt, aut ex materiæ redundantia, ubi membra vel geminantur, vel vltra modum excrescunt, vt cùm homini sex digiti in vna manu agnascuntur: vel ex defectu materiæ, cùm vel membra deficiant, vel omnino à justa sui mensura & proportione aberrent. Meteora autem ex fumis, qui ex elementaribus corporibus, calore Solis & astrorum, eliciuntur, in aëre fiunt.

Caput IV.

Respondit
JOHANNES HOIERUS, HAFNIensis, Danus.

QVid est caussa per accidens? R. Est, cui per accidens effectus quidam adiungitur.

Quot Aristoteles ponit caussas per accidens? R. Duas, Fortunam & casum. Fortuna est agentium cum ratione & deliberatione, Casus agentium sine ratione & deliberatione.

Arist. lib. 2. cap. 5. Velcur. lib. 1. cap. 11. Lieb. lib. 2. c. 4. Seid. lib. 1. c. 7. Tolet. lib. 2.

Quid est Fortuna? R. Est caussa per accidens eorum, quæ per electionem alicuius gratia fiunt.

Quid differt fortuna à fato? R. Fortuna est caussa per accidens: Fatum verò est caussa per se.

Quas habet fortuna caussas per se? R. Sex: 1. Deum. 2. bonos & malos angelos. 3. Temperamenta hominũ. 4. Inclinationes cœlestes. 5. Mores & facta hominum. 6. Materiæ fluxibilitatem.

Estné Fortuna in nostra potestate? R. Fortuna aliquo modo

in nostra potestate est. Nam caussarum per se fortunæ ferè singulæ à nobis vel precibus ad Deum, vel voluntate nostra flecti & teneri possunt.

Quid est casus? R. Est caussa per accidens eorum euentuum, qui absq; electione & voluntate fiunt, propter finem aliquem: ita tamen vt rarò eueniant.

Quam caussam per se casus habet? R. Materiam ipsam.

Quomodo differunt ea, quæ casu fiunt, & quæ frustrà fiunt? R. In his, quæ fortuna vel casu fiunt, effectus aliquis sese exerit, etsi non is sit, qui expectabatur. Frustrà fieri dicuntur ea, quæ finem suum, propter quem erant suscepta, non consequuntur.

Estne in rebus naturalibus necessitas aliqua? R. Maximè in ijs aliqua est necessitas.

Quotuplex est necessitas? R. Duplex: Alia simplex, alia ex hypothesi.

Quid est simplex? Est, qua res aliter sese habere nequit, qualis in rebus diuinis & æternis judicatur, quæ tamen non est coactionis, sed perfectionis.

Quid est necessitas ex hypothesi? R. Est, quæ ex priore quodam dependet, quo existente reliqua deinceps necessariò sequuntur, vt hominis formationem præcedunt parentes & semen.

Qualis igitur necessitas in rebus naturalibus? R. Necessitas ex hypothesi, quæ ex ijs, quæ consequuta sunt, necessariò statuit ea fuisse quæ antecesserunt, vt si homo apoplexia tactus est, necessariò præcessit obstructio cerebri & neruorum.

Caput V. De Fato.

MEministi superius Fati inter caussas, rogo ergo, dicas mihi, quid Fatum est? R. Est, vt definit Velcurio ex verbis Lib. 1. c. 4.

Chrysippi apud Gellium lib. 6. cap. 2. Connexio & perpetuus ordo caussarum & effectuum, dependens à prouidentia primæ caussæ, hoc est, Dei, & imponens necessitatem rebus fatalibus ineuitabilem. Vel etiam, ut breuiùs definitur, est decretum diuinum de re, quam gubernat voluntas Dei vt proxima caussa, & non secundæ caussæ.

Phil: lib. 2. Vel: lib. 1: c. 4. Titel. lib. 2. vide Gesnerum, Theol. VViteb. in lib: de Fato:

Quotuplex est Fatum? . Quadruplex: Historicũ seu Poëticum: Physicũ seu Astrologicũ, Stoicũ & peripateticum.

Quid est Fatum historicum seu Poëticum? R. Est, nihil aliud quàm ipsa prouidentia diuina & determinatio in rebus & factis bonis, non verò in malis seu delictis, vt Daniel inter leones seruatur Fato, id est, voluntate Dei, Iulianus punitur Fato, id est, decreto Dei iusto.

Vide Iust. Lips. lib. 1. de constan. c. 16, 17, 18, 19, 20, 21, & 22.

Quid est Physicum? R. Est series caussarum naturalium, hoc est, copulatio stellarum cum temperamentis & inclinationibus.

Quid est Stoicum? R. Est connexio primæ caussæ cum secundis naturalibus & voluntarijs, talis connexio, vt non prima caussa nec voluntas aliter agere posse existimetur.

Quid in hoc fato considerandum? R. In hoc fato duplex error est. Primus, quòd Stoici Deum ad secundas caussas alligatum dicunt, & ipsum non posse aliter agere, quàm vt illæ caussæ cient. 2. Quòd voluntatẽ hominis dicunt impelli à Deo ad bona & mala simpliciter, atq; ita Deum malorum autorem faciunt.

Quid est Peripateticum? R. Est idem quod natura, videlicet ordo naturalium caussarum à Deo in hac natura institutus, vt homo hominem, bos bouem generet.

Estne discrimen aliquod inter euentum fatalem & fortuitum? R. Maximè. quia fatalis dicitur, qui vel Dei consilio, vel syderum inclinatione gubernatur: Fortuitus verò dicitur respectu hominum consilij, quod nec videt caussam, nec gubernat euentum.

LIBRI III. QVAESTIONES.

Ad quas respondit

IOHANNES MICHAELIUS Iunior, Danus.

QVotuplices sunt Corporum passiones? R. Duplices: Internæ, quæ ipsi Corpori naturali insunt, vt Motus, quies, finitum. Externæ, quæ extra corpus naturale subsistunt, vt Locus, vacuum, & tempus.

Caput I. de Motu.

QVid est Motus? R. Est actus rei existentis in potentia, quatenus in potentia. Arist. lib. 3. cap. 1.

Quid vocas Ens in Potentia? R. Id quod nondum est, sed esse potest, vt infans potentiâ loquitur. Zab. in suis constit. nat. Velcur. lib. 1. c. 30.

Quid vocas Potentiam? R. Habilitatem subiecti cessantis ad actum primum vel secundum suscipiendum. Lieb. lib. 3. cap. 2.

Quot modis accipitur vocabulum actus? R. Tribus modis. Nam primò generaliter cuiuslibet rei essentiam quoquo modo existentis significat. Sic res imaginariæ, & insensibiles, item Spiritus dicuntur habere actum, id est, essentiam. 2. Significat formam, à qua procedit operatio aliqua: ita anima hominis vocatur actus hominis, h. e. forma & perfectio hominis. 3. Significat virtutem & actionem à forma manantem. Sic potentiæ animæ dicuntur actus. Seidel. lib. 1. cap. 8. Titel. lib. 3. c. 2. 3, 4. & deinceps. Phil. lib. 2. phys. Gocl. in suis disp. phys. Vide Tolet. de Motu.

Quid in motu considerandum? R. Termini tres: A quo, per quem, Ad quem, & subiectum motus.

Quid est Terminus à quo? R. Est forma motu amittenda.

Quid est Terminus per quem? R. Est applicatio formæ amittendæ & acquirendæ.

Quid eſt terminus ad quem? Eſt forma per motum acquirenda, ſeu quæ per motum acquiritur.

Quod eſt ſubiectum motus? Eſt quodlibet corpus naturale mobile, h. e. quod mutationem ſubire poteſt.

Quæ ſunt proprietates motus? Tres: Prima, vt fiat ſucceſſiuè, & in tempore, hoc eſt, nec ſubitò, nec in momento, ſed cum mora aliqua & duratione. 2. Vt ſit continuus & non interruptus, alioqui mobile non pertingit terminum ſuum, ad quem fertur. 3. Vt ſit vnus numero motus, h. e. eidem & vni indiuiduo ineſſe debet.

Bodinus in ſuo theſauro. fol. 99.

Quot modis aliquid dicitur moueri? Duobus: Per ſe, & per accidens. Per ſe mouentur ſola corpora naturalia, quæ eadem etiam compoſita ſunt. Per accidens mouentur forma & accidens in ſubiecto: deinde pars in toto: tertio, Contentum in continente: denique, quicquid ad alterius motum mouetur, vt Sol ad motum primi mobilis.

Quomodo diuiditur motus? Motus alius eſt internus, alius externus. Internus eſt vel naturalis vel animalis.

Quid eſt naturalis? Cujus principiũ internum eſt Natura.

Recita Regulas de motu naturali? 1. Motus naturalis eſt vniformis, & ſemper ſui ſimilis, nec arbitrio hominis mutari poteſt, vt ignis ſemper calefacit, aqua humectat. 2. Motus naturalis initio remiſſior, in fine velocior eſt.

Quid eſt motus animalis? R. Eſt, cuius principium internum eſt Anima.

Recita Regulas de motu animali? 1. Motus animales, ac præſertim voluntarij, nõ ſunt vniformes, ſed varij & diſſimiles poſſunt ac ſolent eſſe. 2. Motus animalis initio & fine languet, & in medio fortis eſt.

Quid eſt motus externus? Motus externus, qui etiam violentus dicitur, eſt, qui à principio externo oritur, nulla

la exiſtẽte inclinatione naturali in re mota ad talem motũ.

Recita regulas de motu violento? 1. Motus violentus initio fortior eſt, & in fine languidior. 2. Violenti motus vni corpori multiplices accidere poſſunt.

Quotuplex eſt motus violentus? Duplex: Paraphyſicus & hyperphyſicus. Paraphyſicus eſt, qui fit à principio externo præter naturam rei, vt cùm quis ferro interficitur. Hyperphyſicus eſt, qui fit à principio externo diuiniore, vt Heliæ & Enochi in cœlum ſublatio.

Quot ſunt ſpecies violenti motus? Quatuor: Pulſio, tractio, vectio, volutatio. Pulſio eſt motio, quâ à mouente re mouetur aliquid, vel à ſeipſo, vel ab alio. Tractio eſt motus, quo attrahitur aliquid, vel ad ſeipſum, vel ad aliud; velociùs ac citiùs, quàm id per ſe moueretur, aut etiam quod prorſus nõ moueretur per ſe ſine attractione: ideoque quod trahitur, vim quandam patitur. Vectio eſt motus, cùm aliquid non per ſe, ſed per accidens mouetur, vt curru, naui, equo vectus non mouetur per ſe, ſed ad motũ currus, nauis, equi mouetur. Volutatio, quæ aliàs vertigo dicitur, eſt motus compoſitus ex pulſione & tractione, quo aliquid circumagitur, vt in rotis molarum, curruum apparet. Philip. lib. 2. Seid. lib. 2. c. 9. Scinec. lib. 3.

Quot numerantur ſpecies motus? Vulgò ſex: Generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio & motus localis.

Quare nec ſunt plures, nec pauciores ſpecies motus? Quia tot ſunt genera terminorum, qui acquiruntur aut abijciuntur. Omne enim, quod mouetur & mutatur, aut ſecundum ſubſtantiam, aut quantitatem & qualitatem, aut locum mouetur & mutatur. Regula.

Quid eſt generatio? Eſt motus à nõ eſſe ad eſſe, h. e. quo De his ſpeciebus conſule ſuprà citatos autores in hoc loco.

 noua

noua forma subſtãtialis acquiritur, vt cùm ex ouo fit pullus. Differt autem generatio à creatione, quia generatio materiam naturalem præexiſtentem requirit, ex qua alia forma procreari poſſit, vt ex ſemine hominum fit homo. Creatio verò non requirit materiam præexiſtentem, ſed omnipotentem Dei virtutem, nec materiæ habilitatem ad rei productionem.

Quid eſt corruptio? R. Eſt motus ab eſſe ad non eſſe, quo forma ſubſtantialis abijcitur, vt naſcente pullo corrumpitur ouum.

Quid eſt augmentatio? R. Eſt motus, quo corpus acquirit majorem quantitatem.

Quid eſt diminutio? R. Eſt motus, quo minor quantitas acquiritur.

Quid eſt alteratio? R. Eſt motus, quo acquiritur aut abjicitur qualitas aliqua in ſubiecto, vt cùm frigidum corpus fit calidum.

Quid eſt motus localis? R. Eſt motus de loco in locum alium, mobiliſque non inhæſiuè, ſed περιστατικῶς & circumſcriptiuè tantùm ineſt, quia circumſcribit mobile.

Quotuplex eſt motus localis? R. Triplex: Rectus, circularis & mixtus. Rectus eſt, qui fit ſecundum rectam lineam, vel ſurſum, vel deorſum. Circularis, qui fit circa lineam curuam; Et mixtus, qui fit partim ſecundum rectam, partim ſecundum curuam lineam.

Caput II. De quiete.

De quiete vide ſuprà citatos autores. Seidel, lib. 1. cap. 10. Hermol. lib. 1. cap. 25.

Q*vid eſt quies?* R. Eſt priuatio motus in ſubiecto mobili.

Quomodò quies & motus opponuntur? R. Non contrariè, ſed priuatiuè. Motus enim motui contrarius eſt, in contrarijs ſcilicet terminis ad quos. Res mota dicitur, quæ actu mouetur. Res quieſcens, quæ potentiam habet

&

& aptitudinem ad motum, non autem actu adhuc mouetur. Priuatiuè opposita semper versantur circa idem, vt motus circa actum, quies circa potentiam in motu. Velcur. c. 34. lib. I. Toletus de quiete.

Cui quieti motus opponitur, in termino à quo, an in termino ad quem? R. Opponitur illi in termino à quo, vnde res moueri incipit, illa enim quies per motum tollitur. Altera verò cùm res moueri desierit, non est propriè priuatio motus, sed perfectio potiùs & absolutio.

Quotuplex est quies? R. Vt motus alius est internus, alius externus, ita quoq; quies. Internam vocamus eam, quæ rei alicui secundum naturam suam conuenit, & à principio interno oritur. Externam verò, quæ à principio externo manat. Interna. Externa.

Caput III. De infinito.

Quid est infinitum? R. Est, vt definit Aristoteles, cuius qui ratione quantitatis aliquid sumunt, ijs semper aliquid extrà sumere licet. Vel, vt alij, cuius quantitatem accipientibus, semper restat aliquid accipiendum. Arist: lib. 3. c. 6. Vide Zabar. lib. 1. c. 12.

Quotuplex est infinitum? R. Duplex: Infinitum actu, & potentia. Actu infinitum est, vbi omnes partes actu infinitæ sunt, tale Physicis in rerum natura nullum est, præter solum Deum infinitum & immensum. Velcur. lib. I. c. 31. Lieb. lib. 3. c. 4, 5, 6, 7, Scid. lib. I. c. 11. Phil. lib. 2. Titel. lib. 4. c. 4, 5, 6, 7, &c. Gocl. in suis disp: phys. Tolet. de infinit.

Quotuplex est infinitum actu? R. Duplex: Magnitudine & multitudine. *Magnitudine infinitum est* infinita corporum dimensio. *Multitudine infinitum est* numerus, cuius nec prima vnitas, nec vltima dari potest.

Estne tale infinitum actu in rerum natura? R. Non. Quia natura abhorret ab infinita magnitudine & multitudine.

Quomodo hoc probas? R. Hoc modo: Si in rerum natura aliquod esset infinitum, aut corpus aut Numerus es-

set.

ſet. Sed non eſt corpus, quia omne corpus ſua clauditur ſuperficie. Deinde; Si corpus infinitũ eſſet, omnem locum impleret, quod impoſſibile eſt. Denique, numerus infinitus eſſe non poteſt, quia omnis numerus eſt numerabilis, Et omne numerabile poteſt percurri. E.

At mens humana ſemper, magnitudine data, & numero dato, maiorem imaginari poteſt. Ergo non eſt abſurdum, infinitum in rerum natura ponere? Ab imaginatione ad rem veram, ſeu à quantitate abſtracta ad quantitatem ſubiecto inhærentem, non valet conſequentia. Nam de nobis non pendet, vt res ſit reuera ita, vt nos imaginamur.

Tempus eſt immenſum & infinitum, idcirco videtur infinitum aliquod actu ſtatui poſſe? Tempus eſt immenſum & infinitum non actu, quia tempori ſemper ſubtractio fieri poteſt, ſed potentia & diuiſione.

Generationes rerum ſunt perpetuæ, vt nulla temporis circumſcriptione metiri poſſunt. Ergo non eſt abſurdum, ponere infinitum in rerum natura? A generatione ad materiam non valet conſequentia. Nam fieri poteſt, vt rerum materia finita ad res generandas ſufficiens ſit.

Quid eſt infinitum potentia? Eſt, cujus partes non ſunt ſimul actu, ſed ſuccedentes, vt partes temporis, itẽ motus.

Quotuplex eſt illud? Duplex eſt: Infinitum additione, & diuiſione. Additione infinitum eſt, cui aliquid ſemper poteſt addi, vt in numeris. Diuiſione verò infinitũ eſt, cui ſemper diuiſio aliqua fieri poteſt, vt in magnitudine.

Quid eſt finitum? Eſt, cuius quantitas metiri poteſt.

Eſt mundus finitus? Maximè. Nam quicquid motum habet finitum, non poteſt dici infinitum. Talem habet mundus, quo circumagitur 24 horis: Ergo mundus non eſt infinitus. Maior probatur, Quia finiti ad infinitum

nulla

nulla est proportio. Deinde, omnis Figura habet finem & terminum. Mundus est figuræ Sphæricæ. Ergo.

LIBRI IV. QVAESTIONES,

Respondit

NICOLAVS ERICIVS, CAROLIENSIS, Danus.

Caput I. de Loco.

E*Stne Locus?* R. Maximè, nam quicquid est, illud alicubi est, cùm id quod non est, nullibi esse queat.

Hæretne Locus in re Naturali, ut Calor & Color, an verò exterius rem ipsam complectitur? R. Nullo modo inhæret, sed est externũ quoddam rei accidens, vt corporum translationes conuincunt, vt aquæ succedit aër.

Quomodo definis Locum? R. Est superficies Corporis continentis immobilis primò.

Quomodo diuiditur Locus? R. Locus duplex est, Proprius & communis. Proprius est, in quo subsistit aliquid primò, & per se rem locatam continet. Communis est, in quo multa reposita sunt corpora, quæ primò & per se non continet, vt Collegium, Templum, forum, multos continet homines, sed mediatè.

Estne adhuc alia Loci diuisio? R. Alij diuidunt Locum in Naturalem & non Naturalem.

Quid est Naturalis? R. Est ad quem Corpus sua natura mouetur & tendit, si est extra ipsum, & in eo quiescit, & conseruatur, vt aqua naturalis locus piscium est.

Quid est non naturalis seu violentus? R. Est ad quem corpus sua natura non mouetur, nec in eo quiescit, nec conseruatur, sed vi quadam externa in eo continetur.

Quot modis aliquid dicatur in Loco esse? R. Duobus modis, per se & per accidens.

Arist. lib. 4. c. 1. vide Zabar. c. 37. Bodinus in suo Naturæ theatro. fol 106. Tolet. lib. 4. c. 1. Vel. lib. 1. c. 38. Lieb. lib. 1. c. 1. Phil. lib. 2. phys. Hermol. Bar. lib. 1. c. 26. Seid. lib. 1. c. 12. Tol. lib. 4. c. 1, 2, 3, 4. Sel. lib. 3. phys.

Tol. in Arist. *Quid est in Loco per se?* R. Corpus naturale, cuius magnitudo circumscribi potest.

Quid per accidens? R. Quicquid non est Corpus naturale, vt accidẽtia in loco sunt per accidens, nam in loco cum suis subiectis, quibus inhærent, sunt, nec per se subsistere possunt.

Estne adhuc alius modus eorum, quæ in Loco sunt? R. Theologi triplicem faciunt modum, quo aliquid in Loco esse dicitur, nempe Circumscriptiuè, Definitiuè, & Repletiuè.

Quæ Corpora sunt Circumscriptiuè in Loco? R. Corpora naturalia, in quibus eadem est dimensio ac mensura loci & rei locatæ.

Vide Philip. lib. 2. de Loco. Seid. lib. 1 cap. 12. Vide Selnec. phys. Vide Casm. Angelograph. c. 7. S. 9. & 18.

Quæ Definitiuè? R. Illa corpora vel substantiæ, quæ sine occupatione spatij corporalis hic vel illic sunt, & non alibi, nec nusquam, neq; vbique: Et hic modus competit Angelis, & Animæ hominis.

Quæ dicuntur Repletiuè? R. Hic modus soli Deo competit, qui omnibus locis sua substantia & potentia adest. Iuxta illud: Cœlum & terram ego impleo. Quod non de vna persona intelligendum est, sed de tota Trinitate, Patre, Filio & Spiritu sancto. Gen. 26. Deut. 7. & 20. Ioel. 2. Sciatis, quòd in medio Israel ego sum, & Ego Dominus Deus vester, & non est amplius. Zachar. 2. Ego ego veniam, & habitabo in medio vestri.

Cur verò Christus iubet nos Cœlum intueri, & Patrem compellare? Id ad Dei maiestatem referatur, qui est superior omnibus creaturis, nos verò ad hanc infimam terram affixi sumus, nec possumus altiùs in aërem ascendere, nisi Deus omnipotens nos eò traducat.

Estne Cœlum in Loco? Non est, quia Locus nihil aliud est, quàm superficies continentis corporis: vltimum verò Cœlum à nullo corpore clauditur.

Caput II. De vacuo.

E*Stne vacuum in rerũ natura?* R. Non eſt. Vt enim corpus abſque loco non eſt, ita nec locus ſine corpore exiſtit. Vide Toleti & Schegkium in hoc loco.

Quid eſt vacuum? R. Eſt locus imaginarius, non repletus corpore, idoneus tamen ad recipiendum corpus locatũ.

Quid dicit Ariſtoteles de vacuo? R. Ariſtoteles dicit, homines vacuum ſpatium eſſe volunt, in quo nullum eſt ſenſibile corpus. Quare id, quod aëre plenum eſt, vacuum inquiunt eſſe. Ariſt. lib. 4. cap 6. Velcur. lib. I. cap. 39. Lieb: lib: 4. cap 5. Herm: Barb: lib. 1. c. 27. Titel. lib. 4. cap. 16. Phil. Mel. lib. 2. Selnec. lib. 3. Phyſ. Zabar. de vacuo. Et Seid. lib. I. c. 13. Goclen. in ſuis diſp: phyſ.

Eſtne tale vacuum in rerum natura? R. Minimè. Nam ſi vacuum eſſet in rerum natura, propterea eſſet hoc ipſum, vt res commodiùs moueri poſſint. Sicut quidam opinati ſunt, motum non poſſe fieri, niſi in vacuo: Sed quia non vacuum facit vt res moueantur, ſed ipſæ rerum formæ, ſequitur, Nullum vacuum in rerum natura poſſe concedi.

Quomodo aliàs hoc idem probatur? R. Si vacuum eſt in rerum natura, corporum diſcontinuatio concedatur neceſſe eſt. Sed jam certum eſt, nullam fieri corporum diſcontinuationem, quia omnium partium mundi ſtabiliſſima eſt coagmentatio, vt nulla eſt pars, quæ non cum altera cohæreat: E. nullum eſt vacuum. Deinde à loci probatur definitione: Locus definitur eſſe æqualis rei locatæ. At ſi locus datur vacuus, cui corpori æqualis erit? Nulli ſcilicet, quod eſſet contra naturam & proprietatem loci. Denique experientia quotidiana probatur, nullum vacuum in rerum natura eſſe. Quia grauiora corpora potiùs ſurſum aſcendunt, aut alioqui in locum non ſuum feruntur potiùs, quàm admittatur vacuum. Vt, ſi fiſtulam in aquam miſeris, & aquam per os attraxeris, mox contra ſuam naturam aſcendit, & ſuccedit in locum aëris aqua, ne admittatur vacuum.

 Quid

Arist: lib. 4. cap. 8. Zabar. lib. 2. de motu grauium & leuium. cap. 3. Titelman. lib. 4. c. 16. Tolet. lib. 4. c. 8. 9. 10.

Quid adferre solent illi, qui vacuum demonstrare conantur? Illi ita obijcere solent. Quicquid mouetur, aut mouetur in pleno, aut in vacuo. In pleno nihil potest moueri, quia sic duo corpora essent simul, fierétque penetratio dimensionum: ergo in vacuo fit motus. Responderi solet ita: Etsi corpus per corpus mouetur, non tamen mouetur vt per corpus manens, sed cedens, vt aër cedit corpori accedenti: Duo corpora non sunt simul, sed sibi mutuò succedunt.

Aliàs sic etiam instant: Si vas cineribus replétum, tantundém aquarum imbibit, quantum alioquin vacuum capere solet; vacuum est concedendum. Sed prius verum. E. R. Non fit hoc propter vacuũ, sed propter raritatem: rariora enim corpora cedunt densioribus.

A quibus rebus abhorret Natura? R. Primò à vacuo. Deinde à multitudine locorum vnius corporis eodem tempore, vt vnũ & idem corpus nõ potest naturaliter eodem tempore in diuersis locis esse, sed miraculosè, sicut corpus Christi est in cœlo, & simul in omnibus locis, vbicunq; Sacramentũ altaris administratur, vt verba institutionis Sacramenti conuincunt. Idem ex 3. cap. v. 13. Ioh. probatur. 3. A penetratione dimensionum. Corpora enim sese mutuò penetrare suis dimensionibus vtrinque saluis manentibus nequeunt, sed vnum alteri cedit, vt aqua nauibus aut piscibus. 4. Ab accidentium subsistentia remoto subiecto.

Caput vltimum, de tempore.

Respondit

OLAVS PETRAEVS IEMTLANDVS, Noruegus.

QVid est tempus? R. Est numerus primi motus secundum prius & posterius.

Estne.

Estne cœli motus tempus? R. Non est, sed quando dicitur, tempus esse numerum primi motus, intelligitur esse spatium, quod ipso cœli, & Solis motu mensuratur.

Quare dicitur tempus numerus? R. Sciendum, duplicem numerum esse: Numerantem & Numeratum.

Quid est numerans? R. Est, per quem plus & minus in re qualibet esse definitur, vt vnum, duo, tria.

Quid est numeratus? R. Est res vel multitudo numerata, vt boues, spicæ, libri, domus.

Numerus numerans est duplex: Principalis & medius. Principalis est ipsa hominis anima, omnia numerans, & à se inuicem discernens. Medius est, quo tanquã instrumento anima nostra numerat, vt vnũ, duo, tria, quatuor, &c.

Qualis numerus est in tempore? R. Numerans & numeratus, sed diuerso respectu. Si enim tempus confertur ad motum cœli, tanquam ad caussam efficientem, dicitur numerus numeratus. Si verò ad subiectum suum mobile secundum partes suas, scilicet præteritum, præsens & futurum confertur, potest dici numerans.

Quare dicitur secundum prius & posterius? R. Quia omne tempus duobus terminis clauditur, priore nempe & posteriore, h. e. præterito & futuro. Motus est quiddam continuum, & non vno momento absoluitur, sed fit successiuè.

Quotuplex est tempus? R. Triplex: Præteritum, quod fuit, & jam non est: præsens, quod est finis præteriti, & initium futuri: Futurum, quod erit, necdum est.

Quid aliàs Physici vocant præsens tempus? R. NVNC, seu INSTANS. Nam in tempore nihil deprehenditur, vel assignari potest, quàm tempus, atque ipsum Nunc: quod præterijt, jam nihil est: quod futurum est, etiam nihil est, quia nondum est.

Arist. lib. 4. c. 10. & 11. Zabar. lib. 1. cap. 5. Velcur. lib. 1. cap. 41. Lieb. lib. 4. c. 10. Titelman. lib. 4. c. 19. & 20. Hermol. Bar. lib. 1. c. 28. Seidel. lib. 1. c. 14. Arist. lib. 4. cap. ult. Philip. lib. 2. Selnec. lib. 3. Phys. Tolet. lib. 4. cap. 10.

Quomodo Aristoteles definit Nunc? R. Hoc modo: τὸ νῦν ἐστὶ συνέχεια χρόνου, h. e. Nunc est continuatio temporis, id est, est terminus copulans partes præteriti & futuri temporis, itaque tempus nihil aliud est, quàm Nunc continuatum.

Súntne sempiternæ res tempori inclusæ? R. Minimè. Quia fine omni carent, nec diuturnitas earum tempore mensurari queat: In Deo enim nullum principium, nec finis, sed æternum.

Philip. lib. 2. Titel. lib. 4. cap. 22. Seid: lib. 1. cap. 14. Selnec: lib. 3. & 4.

Quomodo Theologi discernunt tempus, æuum, & æternum? R. Tempus vocant interuallum, quo res mutabilis incipit & desinit, habétque principium, medium, & finem, vt corpora hominum & brutorum. AEuum vocant interuallum eorum, quæ quidem cœperunt, sed nunquam sunt desitura, vt Angeli & animæ. AEternum verò, quod nec principium nec finem habet, & soli Deo omnipotenti competit.

Philip. lib. 2. Seid: lib. 1. cap. 14. Vide Arist: lib. 5. Tolet. lib. 4.

Quotuplex est motus ratione temporis? R. Alius motus est regularis, alius irregularis: alius vniformis, alius difformis: alius velox, alius tardus.

Regularis dicitur, qui æquali tempore æquale spatium conficit, vt motus primi mobilis semper 24 horis circumuoluitur.

Irregularis, qui æquali spatio non æquale spatium conficit, vt viator interdum vno die progreditur quatuor miliaria, interdum 6. vel 7.

Vniformis dicitur motus, qui in omni parte rei motæ est æquè velox, vt in casu lapidis deorsum, pari velocitate partes eius decidunt.

Difformis verò dicitur, qui non æquè velociter fit secundum omnes partes rei motæ, vt in rota fit.

Velox

Velòx motus, qui breui tempore multum ſpatij conficit, vt Luna quouis menſe percurrit Zodiacū.

Tardus verò, qui longo tempore parum ſpatij conficit, vt Saturnus 30 annis ſemel tantùm proprio motu Zodiacum perágrat.

Quid poſtea Ariſtoteles de tempore tradit? R. Conatur probare, Tempus eſſe ſempiternum, quæ ſententia vera eſſe poteſt de hac rerum natura, quæ quamdiu talis manebit, qualis nunc eſt, motui ſcilicet obnoxia, tamdiu etiam in tempore exiſtat, neceſſe eſt. Aliàs ex ſacris literis nobis perſpicuum, primum mobile initium habuiſſe, finémque pro nutu Dei habiturum: Cœlum & terra tranſibunt. Ariſt: lib. 4. cap. ult.

Quæritur, vtrum anima numeratrice ſublata, temporis ratio ſubſiſtere poßit? Reſpondet Ariſtoteles: Si numeraturus eſſe non poſſit, neque quicquam numerabile eſſe poteſt: Iam nihil aptum eſt numerare, niſi anima hominis. impoſſibile igitur eſt, ſi anima non ſit, tempus eſſe, niſi id quod ſubiecto eſt tempus.

LIBRI V. QVAESTIONES,

Ad quas reſpondit

CLAVDIVS GAGGE, Danus.

Caput I.

Ariſt: lib. 5. cap. 1.
Lieb. lib. 5. cap. 1.

QVid Ariſtoteles in hoc libro tractat? R. In hoc & alijs ſequentibus proprietates motus inueſtigat. Idcirco primò in initio huius libri, quid motus à mutatione diſcrepet, docet. II. Quot ſunt ſpecies motus. III. Quæ SIMVL ſunt, quæ SEPARATIM, quæ TANGERE, quæ INTERMEDIA, quæ CONTINENTER, Quid DEINCEPS,

Quid

Quid DEINCEPS, quid CONIVNCTVM, quid CONTINVVM. 4. & postremò, qui motus omni ex parte sit VNVS, qui CONTRARII. Et QVOMODO QVIES motui opponatur.

Quomodo differt mutatio à motu? R. Mutatio instar generis se habet ad motum, nam de pluribus dicitur. Quando enim aliquid ex aliquo fit, vel res aliter se habet posteriùs, quàm priùs habuit, mutata esse dicitur.

Arist: lib. 5. cap. 1. Liebl. lib. 5. cap: 1.

Quot sunt mutationum modi? R. Quatuor possunt excogitari: 1. Ex subiecto in subiectum, ut album in nigrum, paruum in magnum, vel cùm ex superiore loco in inferiorem res fertur: tum res non tantùm mutari, sed etiam propriè & rectè moueri dicitur. 2. Ex non subiecto in nō subiectum. 3. Ex non subiecto in subiectum, h. e. ex non Ente ad Ens, sic res gigni dicitur, & γένεσις appellatur. 4. Ex subiecto in non subiectū, h. e. ab Ente ad nō Ens, sic res interire dicitur, & φθορὰ dicitur. Et hæ duæ species ultimæ propriè mutationes appellantur, non motus.

Quid de secundo judicas modo? R. Quia ille ἀόριστος est, inutilis est, cùm nec inter contraria, nec inter contradicentia consistit, ideo nulla res eo modo mutari dicitur.

Quomodo probatur, generationem & corruptionem non esse motus? R. His rationibus. Omnis motus tendit ex affirmatione in affirmationem, è subiecto in subiectum: Generatio verò & corruptio ex negatione in negationem: Deinde, Omnis motus fit successiuè: Generatio & corruptio fiunt in momento. Tertiò: Omnis motus fit de contrario in contrarium. At substantiæ non sunt contrariæ. Aristotelis verba hæc sunt: In substantia non est motus, quia nihil substantiæ contrarium.

Arist: lib. 5. cap. 2. Lieb. lib. 1. c. 2.

Caput

Caput II.

QVot sunt Species motus? Respondet Aristoteles, tot nūmerādas esse, quot motus genera per se primò rebus insunt. Quicquid mouetur, vel ratione qualitatis, vel quantitatis, vel loci mouetur; vnde tres species motus emergunt, nempe ἀλλοίωσις alteratio, αὔξησις καὶ ὕφεσις, id est, augmentum & decrementum. Et φορὰ Latio.

Quies cùm sit contraria motui, proinde est priuatio eius quod moueri potest.

Caput III.

QVæ dicuntur Simul esse? Quæ vno in loco sunt primò, vt accidentia cum subiecto simul esse dici solent. Arist. lib. 5. c. 3. Lieb. lib. 5. cap. 3. Seid. lib. 1. cap. 15.

Quæ separatim? Quæ in diuersis sunt locis.

Quæ dicuntur contigua seu tangere? Quorum extrema sunt simul, vt corpora corporibus, Elementa Elementis, quæ se mutuo tangunt.

Quæ intermedia? μεταξὺ intermedium dicitur, in quod res, quæ secundum naturam continenter mouetur, priùs peruenire potest, quàm ad extremum. Omnis enim motus est inter contraria, quorum sunt Media. Ad quod ergo res mobilis priùs peruenit quàm ad extremum, Medium dicitur.

Quæ dicuntur continenter Moueri? R. Continenter moueri dicitur, non illud, quod ratione temporis nullam habet intermissionem motus: sed quod nihil aut minimum intermittit rei, secundum quam fit motus.

Quid Deinceps? Est illud, quod cùm sit post principium vel Natura, vel Positu, vel alio modo, atque ab eo separatum,

ratum, nihil interuenit quod sit eiusdem generis, cuius est principium, & illud quod est post principium, vt ver, æstas, autumnus, hyems, deinceps sunt.

Quid est hærens seu consequens? R. Quod ita est deinceps, vt attingat id quod proximè antecessit.

Quid est Continuum? R. Quando extrema, quibus res duæ sese attingunt, fiunt vnum & idem; quod fit vel clauo, vel glutine, vel tactu, vel concretione.

Caput IV.

Arist. lib. 5. cap. 4. Lieb. lib. 5. cap. 4.

QVot modis motus dicitur vnus? R. Tribus: Vel Genere, vel Specie, vel numero. *Genere vnus dicitur*, qui est in eodem genere. *Specie vnus*, qui cùm sit genere vnus, etiam vna indiuidua Specie continetur. *Numero verò vnus* dicitur, in quo & subiectum, quod mouetur, numero vnum est, & Species, secundum quam motus fit, & tempus in quo res mouetur, vnum est, & Continuum, nulla quiete interceptum.

Potestne motus alio modo dici Vnus? R. Ita. Qui enim motus perfectus est, vnus dicitur esse. Deinde æqualis motus magis dicitur Vnus, quàm inæqualis.

Caput V.

Arist. lib. 5. cap. 5.

QVi motus sunt inter se Contrarij? R. Qui sunt ex contrario in Contrarium, vt motus ex sanitate in ægritudinem, contrarius est motui ex ægritudine in sanitatem.

Arist. lib. 5. c. 6. Lieb. lib. 5. cap. 5.

Quomodo Motus quieti opponitur? R. Priuatiuè, & non Contrariè, quapropter motus & motui, & quieti opponi potest, non tamen eadem forma oppositionis. de his pleniùs suprà, lib. 3. cap. 2.

Cui quieti motus opponitur? R. Opponitur illi quieti, vnde

Motus

Motus incipit. Altera enim quies, ſecundum quam res moueri deſinit, eſt perfectio motus & conſummatio, quare ei contraria non eſt. Contraria ſe mutuò corrumpunt, non verò perficiunt.

LIBRI VI. QVAESTIONES,

Ad quas reſpondit

IANVS GÆORGIVS STAFVANGRIVS, Noruegus.

Q*Vid docet Ariſtoteles primùm in hoc libro?* R. Docet, nullum continuum compoſitũ eſſe ex inſecabilibus. Ariſt: lib. 6. c. 1. Lieb. lib. 6. cap: 1. Tolet. lib. 6. Zabar. de conſtitut. natur. ſcient.

Quot ſunt genera continuorum? R. Quinque: Linea, planicies, corpus, motus, & tempus.

Quid notandum de continuis? R. In omnibus continuis eadem eſt ratio continuitatis.

Quomodo Ariſtoteles probat, lineam non componi ex punctis? R. Hoc modo: Si Linea componeretur ex punctis, extrema punctorum eſſent vnum, ex definitione continui. At punctorum extrema non ſunt vnum (quia punctum, quà eſt punctum, nec partes, nec extrema habet) Ergo Linea ex punctis non eſt.

Quid hinc conſequitur? R. Nullum continuum ex indiuiduis componi; idcirco omne continuum erit diuiduum in partes ſemper ſecabiles.

Quod eſt ſecundum conſectarium? R. Motum & tempus eodem modo diuidua eſſe, aut indiuidua.

Caput II.

Q*Vid in hoc capite demonſtrat Ariſtoteles?* R. Omne tempus eſſe continuum, h. e. diuiduum in ſemper diuidua: Ariſt: lib. 6. cap. 2.

Lieb. lib. 6. cap. eodémque modo etiam magnitudinem. DEINDE non potest fieri, vt vel per INFINITVM INTERVALLVM moueatur aliquid tempore finito, vel infinito tempore per interuallum FINITVM.

Quæ sunt consectaria huius demonstrationis? R. Primum est: Quòd omnis motus sit in tempore.

II. Quòd omni tempore possit aliquid moueri.

III. Quòd omne, quod mouetur, possit celeriùs aut tardiùs moueri.

IV. Quòd quolibet tempore possit aliquid celeriùs aut tardiùs moueri.

Caput III.

S*I omne tempus est diuisibile: Sequitur, NVNC diuisibile esse, cùm præteritum tempus finitur in NVNC, & futurum incipit in alio NVNC?* R. Præsens & Futurum tempus non duobus, sed vno Nunc copulantur, quod quanquam rationibus sit geminum, reipsa tamen vnum idémque est.

Potestne aliquid moueri aut quiescere in INSTANTI? R. In INSTANTI seu NVNC nihil potest moueri aut quiescere.

Potestne Atomon aliquod moueri? R. Non potest. Nam quicquid mouetur, necesse est vt diuiduum sit.

Caput IV.

Arist: lib. 5. cap. 4. Lieb. ibidem. E*St motus omnis diuiduus?* R. Maximè. Partim ratione temporis, partim ratione partium eius.

Caput V.

R*Es mutata in quo termino consistit?* R. Omnis mutatio cōsistit in termino, ad quem mouetur.

Quid

Quid dicis de re mutata? R. Quocunque enim tempore aliquid mouetur, aut quiescit, in qualibet eius parte moueatur aut quiescat: ita tamen, vt omne, quod primò mutatum est, in puncto temporis indiuiduo mutatum sit; Quódque factum est, momento temporis factum est. Et quicquid interijt, indiuiduo temporis NVNC interijt.

Arist: lib. 6. cap. 5. Vide Aul. Gel. lib. 6. cap. 13.

Caput VI.

Poteſtne primum tempus in motus & quietis actu dari? R. Non poteſt. In motus & quietis actu nullum primũ tempus dari vel eſſe poteſt; quia illud ſemper poteſt diuidi, ita, vt ad primum, in quo non moueatur ratione alterius, perueniri nunquam poſſit.

Quid eſt conſectarium inde? R. Omne id quod mouetur, priùs eſſe motum, h. e. in motu aliquo vſque proceſſiſſe. Quicquid enim mouetur ex aliquo, in aliquid progreſſum eſt: In eodem ſi maneret adhuc, certè non moueretur, ſed quieſceret.

Poteſt aliquid infinito tempore moueri aut quieſcere? R. Exiſtimamus res naturales interdum moueri, interdũ quieſcere, nec ſemper naſci, ſed natas aliquandiu ſubſiſtere, donec abſoluta periodo ſua, quæ omnibus à natura definita, iterum intereant.

Quid de quiete ſtatuis? R. Quæ hactenus de Motu dicta ſunt, ea etiam de Quiete intelligenda ſunt.

Eſtne motus infinitus? R. Minimè. Omnis enim motus intra duos terminos conſiſtit, vt calefactio inter frigus & calorem.

LIBRI VII. QVAESTIONES,

Ad quas respondit

IOHANNES MICHAELIUS, Junior, Danus.

Caput I. Hactenus de Motu, nunc de Mouente.

Arist: lib. 7. cap. 1.

Estne aliquod, quod à sese primò moueri poßit? R. Minimè. Nam nihil à semetipso vel alteratur, vel augetur.

Arist. lib. 7. cap. 2. Lieb. lib. 7. cap. 2.

Quid hinc sequitur? R. Omne quod mouetur, ab alio mouetur, idque sit vel attingens, vel continuum.

Cur addis attingens? R. Quia Mouens caussa & mobile simul esse oportet, nihilque interuenire.

Caput II.

De motu locali id mihi demonstra? R. Fiat. Quicquid de loco mouetur, vel à semetipso, vel ab externo motore cietur. Quæ à semetipsis mouentur, Motorem & Mobile simul esse necesse est, quod per se manifestum est, vt probatione non egeat. Motus ab externo Motore licèt plures species sunt: tamen ad duas reuocari possunt, nempe ὦσιν καὶ ἕλξιν, in quibus inter MOVENS & MOTVM nihil interuenire, vel ex illarum definitionibus liquet. PVLSIO est motus pellentis, quo id vel à seipso, vel ab alio quopiam ad aliud mouet. TRACTIO est motus trahentis, quo id vel ad se, vel ad aliud ab alio aliquid admouet: quæ fieri non possunt, si inter pellens & pulsum, trahens & tractum quicquam interueniat.

Proba

Proba idem de motu alterationis? R. Omnis alteratio fit à qualitatibus patibilibus, in quibus alterans & alteratum simul sunt, siue id quod alteratur, animatum sit, siue inanimatum.

Proba idem de incremento & decremento? R. Fiat. Omne incrementum fit ex acçessione ejus rei, quæ cum re crescente vnum & continuum fiat. Decrementum similiter fit ex decretione rei, quæ cum decrescente re vnum & continuum fuerat.

Caput III.

Figurarum & formarum permutationes cur non sunt alterationes? R. Quia istæ mutationes ad generationem propiùs accedunt, quàm ad alterationem. Arist: lib. 7. c. 3, 4.

Acquisitiones & amißiones, quæ secundum habitum fiunt, possuntne dici alterationes?

R: Non possunt. Nam habitus corporis & animi sunt actus perfecti, qui omnem imperfectionem, quæ ἐνέργεια est, in motu alterationis excludunt, ergo non possunt dici alterationes. Sic neque in facultate animæ intelligentis alteratio locum habere potest, cùm vel scientiæ habitus acquiritur, vel secundum eum animus ἐνεργεῖ & actu intelligit.

Caput IV. & V.

QVid tractat Aristoteles in his duobus postremis capitibus? R. In quarto capite docet, motum quemlibet cum quolibet motu comparari non posse ratione propriorum παθῶν motus, nempe celeritate & tarditate. verbi gratia: motus localis cum alteratione, & motus circularis cum Arist: lib. 7. cap. 4. & 5. Tolet. & Zabar. de hisce vide.

eo, qui fit ſuper recta linea, comparari nequit. Nam in comparabilibus requiruntur tria: primò, vt non ſint ὁμώνυμα. 2. vt idem ſit comparabilium ſubiectum. Postremò, vt cōparatio fiat non cauſſa generis, ſed εἴδ@ ἀτόμȣ.

Quid docet Ariſtoteles in vltimo capite huius libri?

Ariſt: lib. 7. Cap. 5. Lieb. lib. 7. cap. ult.

R. In vltimo capite docet, quo modo motus inter ſe comparari poſſunt, ratione cauſſæ mouentis, rei mobilis, & temporis.

LIBRI VIII QVAESTIONES,

Ad quas reſpondit

NICOLAVS ERICIVS, Danus.

Ariſt lib. 8. c. 1. 2. Vide Toleti, Schegkii & Liebleri ſententiam de hoc libro.

Q*Væ ſunt præcipuæ demonſtrationes, quas adducit Ariſtoteles in octauo libro?* Ipſe conatur probare, Motum eſſe ſempiternum, neque incœpiſſe, neque interiturum vnquam.

Vnde huius propoſiti argumenta petit? Partim ex Natura motus, partim ex natura temporis, quod cùm ſemper fuiſſe oſtendat, motum etiam ſemper extitiſſe probat. Nam temporis intelligentia ſine motu conſiſtere nequit.

Cùm oſtenderit motum ſempiternum, quid deinde ſequitur, quod conatur demonſtrare? Ipſe ab octauo capite ad finem vſque libri conatur demonſtrare, MOBILE eſſe ſempiternum, Corpus ſcilicet cœleſte, MOTOREM etiam ſempiternum, qui neque PER SE, neque per accidens moueatur.

Tantum de libris octo phyſicæ auſcultationis Ariſtotelis.

SEQVVNTVR QVÆSTIONES ex libris de Cœlo.

Caput I. de Mundo.

Respondit

IOHANNES HOIERVS, Hafniensis.

QVid est Mundus? R. Est, vt definit Aristoteles, in libro de Mundo, Systema cœli & terræ, rerumq; in his contentarum, à Deo, & propter Deum conditum. Arist. lib. de Mundo c. 2. Lieb. lib. 1. de cœlo. c. 6, 7. Seid lib. 2. cap. 2. Zab. in const. Sci. Nat. c. 16. & deinceps Valef. de Sacr. phil.

Quæ est figura Mundi? R. Mundus est Sphæricæ figuræ, quod ex stellarum circumuolutione manifestum euadit. Nam stellæ, quæ sunt perpetuæ apparitionis, vt inprimis Vrsa maior & minor, deprehenduntur ferri circulariter singulis noctibus circa polum.

Deinde, Si Cœlum capiat omnia, necessariò ei figura Sphærica tribuenda, quæ est capacissima.

3. Si Cœlum non esset rotundæ figuræ, sed quadratæ, duo absurda sequerentur, nempe Locus sine corpore, & Corpus sine Loco.

Quomodo probas Mundum esse finitum? R. Id duobus præsertim argumentis probatur, quorum alterum à Motu, alterum à figura sumitur. Primum: Nullum Corpus circulariter motum, est infinitum. At Cœlum circulariter mouetur, quod perspicuum est ex solis & aliarum stellarum fixarum quotidiana circumuolutione. Ergo cœlum est finitum. *Secundum*: Omne figuratum est finitum. Cœlum est figuratum, vt suprà demonstratum. Ergo cœlum est finitum.

Estne mundus æternus? R. Minimè. vt enim initium habuit, sic quoq; finem habiturus est. Sacra enim scriptu-

ra docet, nihil æternum, præter Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum; Mundum verò periturum: Cœlum & terra tranſibunt.

Eſtne, vnus tantùm Mundus, an verò plures? R. Vnus tantummodo eſt Mundus. Nam doctrina cœleſtis teſtatur, Deum ſeptimo die ab omnibus ſuis operibus quieuiſſe, & non aliam molem condidiſſe, aut alia animantium genera. Deinde, Si plures eſſent Mundi, ſequeretur, Chriſtum ſæpius mortuum & reſuſcitatum. Sed hoc abſurdum: ergo & illud.

Quæ pars Mundi mouetur? R. Cœlum.

Eccleſiaſt. c. 1.

Proba terram non moueri? R. Teſtimonijs ſacræ ſcripturæ confirmatur. Eccleſiaſtis Capite primo ſcriptum eſt: Terra in æternum ſtat, oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum tendens, ibi oritur. Deinde inter miracula recenſetur, quòd Deus voluit Solem conſiſtere, item regredi.

Quomodo aliàs probatur? R. His rationibus: Si terra moueretur circulariter in medio, motus iſte aut naturalis, aut violentus eſſet. At non eſt naturalis, quia quælibet pars terræ ſic moueretur; quod eſt falſum. Mouetur enim quælibet pars terræ, ſecundum rectam lineam deorſum. Neq; eſt violentus, quia talis motus non eſſet perpetuus. Ergo.

2. Grauia rectà ſurſum proiecta, rurſum rectà deorſum ad eundem locum recidunt, à quo remota fuerunt. Sed ſi terra moueretur, non rectà deorſum reciderent, nec in eundem locum terræ. Ergo terra non mouetur.

Quomodo diuiditur Mundus? R. In regionem æthercam & Elementarem: æthercam regionem omittamus, & de elementari agamus.

Caput.

Caput II. De Elementis.

QVid est Elementum? R. Est, vt definit Aristoteles, lib. 5. Metaphys. cap. 3. Principium corporeum, simplex, ex quo componitur res naturalis primò, cui rei inest, nec diuiditur secundum speciem in aliam speciem. Arist: lib. 5. Metaph. c. 3.

Quomodo differunt simplex & purum? R. Simplex dicitur id corpus, quod non ex variarum qualitatum commistione existit, vt cœli & corporum cœlestium vires & efficaciæ. Sic ignis simpliciter est calidus, & simplex est calor eius, aëris simplex liquor, aquæ simplex frigus, terræ simplex siccitas. Deinde simplex dicitur, ex quo mixta corpora fiunt, quódque in partes specie differentes diuidi nequit, vt minima pars ignis, est ignis. Purum verò dicitur, quod est sine altero. Itaque Elementa non sunt pura, h. e. non est vnum sine altero, vt aqua habet admixtam terram, terræ passim agglutinatus est humor. Velcur. lib. 2. cap. 12.

Quare Elementa non sunt pura? R. Quia ex puris Elementis, quatenus pura permanent, nihil posset generari. Deinde, quia Elementa pura non nutriunt. Necesse est igitur, ad procreationem & conseruationem rerum, vt Elementa inter se confundantur, vt possit fieri vera mixtio. Philip. lib. 2. Phys. Velcur. lib. 2. cap. 25.

Quot sunt Elementa? R. Ex communi sententia Philosophorum & Medicorum, præter cœlum, quod aliàs quinta essentia appellatur, quatuor sunt Elementa seu corpora simplicia: Ignis, aër, aqua, terra. Arist: lib. 2. de generat. & corrupt. cap. 3.

Quomodo probatur, quatuor esse Elementa? R. His rationi-

Vide Bodin: lib. 2. Titel. lib. 5. cap. 10. Vide Zabar.

bus: Quot sunt motus simplices Recti, tot sunt Elementa. At plures sunt simplices ac recti motus. Ergo plura sunt corpora simplicia: Minor probatur. Quia duo corpora ignis & aër feruntur sursum: duo deorsum, vt aqua & terra, vnde sequitur, tantùm quatuor Elementa esse.

2. Quot sunt primæ qualitates & earum συζυγίαι, tot sunt Elementa. At primæ qualitates & earum συζυγίαι sunt quatuor: ergo Elementa sunt quatuor. Minor probatur. Quia quatuor sunt qualitates primæ: Calidum, frigidum, humidum, siccum: Sic earum συζυγίαι quatuor. Nam calidũ junctum sicco, fiet ignis: Calidum junctum humido, aër: sic frigidum cum sicco, terra: & frigidum cum humido, aqua generabitur.

Possunt equidem plures probationes adferri, verùm quia aliquibus elumbes visæ sunt, eas omitto, & in datis acquiesco.

DE IGNE.

Respondit

Valla Dial: 1. c. 2.

OLAVS PETRAEVS, IEMTLANDVS, Noruegus.

E*Stne ignis Elementum in rerum natura?* R. Multi contra Aristotelem & Medicos, vt Valla, Aphrodisæus, & alii quidam ignem ex Elementorum numero excluserunt, statuentes, ignem tantùm esse calorem intensissimum, vel calorem & lumen stellarum & Astrorum. Valla autem statuit Elementum ignis nihil aliud esse, quàm ignem illum, qui lignis, aut alia materia in nostris focis fouetur.

Vide Arist: lib 2. de generat. & corrupt: c. 3. & 4. Bodin. lib: 2. Vales. de sac. Phil. Casman. in somatolog. c. 3.

Quid verò Aristotelici de hoc Elemento statuunt? R. Ipsi cum Aristotele ignem reuera esse, & Sphæræ lunari proximè subiectum asserunt, & vt ab orbe Lunæ ambitur, ita ipse totum aërem circumambit.

Quo-

Quomodo ergo definis Ignem? R. Est Elementum leuissimum, calidissimum & siccum.

Quomodo Elementum ignis differt à nostro igne διακονικῷ? R. Velcurio in sua physica has affert differentias: 1. quòd ignis superior, sit Elementum, & quælibet eius pars corpus simplex. Noster verò non est Elementum, quia non est simplex, neque purus, sed viscositati & pinguedini terrestri commixtus, quo alitur, fouetur, aëreq; indiget, ne suffocetur. 2. Superior ignis est caussa efficiens conseruationis & Essentiæ. Noster verò est caussa corruptionis, quia vsta consumit, tandemq; ipse quoque, deficiente Materia, euanescit. Vel. lib. 2. phys. c. 7. Hier. VValdenberg. in lib. de cœlo. c. 13.

3. *Superior* est διαφανὴς transparens, non lucens. Noster verò lucidus non transparens, innitens materiæ terrestri, qua alitur.

Notandũ & hoc, ignem propter subtilitatẽ suam visum nostrum non terminare, neq; lucere; si enim luceret, lucem stellarum, & præcipuè Lunæ, obscuraret.

DE AERE.

Respondit

CLAVDIVS GAGGE, Danus.

QVid est aër? R. Est Elementum calidum, leue, humidum, complens omnem locum, non repletũ alioqui corpore terrestri vel aqueo. Arist. lib. 2. de generat. & corrupt. c. 3. & 4. de cœlo. lib. 4. cap. 4.

Quomodo distinguitur aër? R. In tres regiones: Supremam, Mediam & Infimam. *Suprema* est calidissima, sicca, & luminosa, propter ignis, Solis & stellarum vicinitatem. In hac Meteora ignita gignuntur. Vel. lib. 2. cap. 8. Lieb. lib. de cœlo c. 4.

Seidel. lib. 2. cap. 2.

Media est frigida, humida & tenebricosa, quia est à Sphæra ignis remotior, ideo frigus magis in hac intenditur, idque propter Antiperistasin, vt perspicuum fit in Meteoris frigidis & humidis, quæ in hac generantur, vt Nubes, pluuiæ, grando.

Quid est Antiperistasis? R. Est circumsistentia quædam caloris, frigus intra se cohibentis.

Infima regio est infra nubes; terris, in quibus viuimus, proxima, ambigua, nunc calida propter reflexionem radiorum à terra & aqua, nunc frigida propter aquæ & terræ frigidæ vicinitatem, prout Sol accedit & recedit.

Bodin: lib. 2. de aëre.

Est aër calidus & humidus? R. Aliqui quidem aërem frigidissimum esse asserunt, sententiæ suæ probationem à Meteoris frigidis, in eo generatis, & à motu aëris petentes, quò enim violentiùs agitatur, eò frigidior redditur: Sed Peripatetici, & Arabicæ Philosophiæ Princeps Auerroes aërem calidum & humidum esse tradunt.

Velcur. lib. 2. cap. 8. Zabar. de aëre.

In aëre vestes madidæ siccantur, ergo aër non potest dici humidus? R. Quòd vestes in aëre siccantur, non fit ab aëre, sed calore & siccitate Solis & Astrorum: Neque humiditas in humectando, sed in resoluendo & attenuando magis consistit.

DE AQVA.

Respondit

IANVS GÆORGIVS STAFVANGRIVS, Noruegus.

Vide Vales. de sac. phil.

Q*Vid est Aqua?* R. Est Elementum frigidum & humidum, & graue, circumquaq; terram ambiens, non tamen totam ordine naturæ cooperiens, vt sit apta habitationi hominum & animalium.

Quidam

Quidam Philosophi statuunt aërem frigidissimum, idcirco frigidum de aqua dici nequit? R. Aërem esse frigidissimum, inde probatur, quòd eius vi & potestate cætera frigesiunt, rigent, & gelu concrescunt, vt videre est in stagnis & fluminibus, quorum superficies, quia aëri expositæ sunt, magis quàm fundum concrescunt. Aquam quoque frigidam esse suâ naturâ, ipsa experientia testatur, cui reclamare quis facilè nequit.

Bodin. lib. 2. theat. vniuersæ, naturæ.

At thermæ & maria non sunt frigidissima, ergo illa qualitas aquæ tribui nequit? R. Thermæ, maria, flumina, fontes, non possunt Elementum aquæ dici, quia non sunt pura aqua. Licèt aqua dicuntur: tamen sunt mixta & impura, non verò mera aqua, sed à sulphureo, aluminoso vel salso sapore aquæ commixta.

Quid sentis de humiditate aquæ? R. Quidam enim Philosophi eam non qualitatem aquæ dici volunt, sed substantiam, siquidem humor additus corpori auget corpus, tum substantia, tum grauitate, tum loci amplitudine, quod videre est in pane crudo, qui cocto septima sui parte grauior est. hoc de calore, frigore, aut siccitate dici nequit. Deinde negant, aërem posse dici humidissimum, quia si humidus esset, facilè ab igne, cui proximus est, inflammaretur. Deinde, ex eius qualitatibus putredines & morbi populares excitarentur, siquidem spirantibus austris, aërem humectantibus & calefacientibus, cadauera putrescunt, ac morbi putres generantur: quia calidi & humidi natura est, putredines excitare & morbos populares. Et ipse Aristoteles confitetur, aëra nunquã putrescere, quo nullum frigiditatis aut siccitatis argumentum majus esse potest. Nam quò vehementiùs aër agitatur, eò magis refrigerat, & exsiccat.

Arist. probl. 2. part. 20.

Quidi

Arist: lib. 2. de gener. & corrupt. Velcurio lib: 2. cap.8. & 22.

Quid verò Aristotelici statuunt? R. Illi enim, humiditatem non tantùm aquæ qualitatem, sed & aëris esse, affirmant: aërémque humidiorem aqua statuunt, nam hæc facilè termino alieno, superficie nempe terrestri, continetur, aër verò termino suo proprio non coërcetur, nedum alieno. Nam semper poros minutissimos & rimulas corporis cōtinentis se penetrat, quod aqua non facit, ideo aërem aquâ humidiorem concludunt.

An aqua altior terra est? R. Aquam esse altiorem terrâ, ipsa experientia docet. Nam ingredientes mare in littoribus turres & speculas vident, donec magno interuallo à terra recesserint, vbi ad pedem mali stantes nihil vidēt, sed ascendentibus ad mali apicem speculæ apparent, cùm tamen breuior sit linea à mali pede ad ipsam speculam, quàm à summitate.

Quomodo probas aquam cum terra vnum constituere globum? R. Experientia peregrinantium, qui testantur, in aliquibus locis maxima esse maria terræ incumbentia, vbi terra decliuis & quasi excauata est; item magna flumina: sed in alijs locis vix exiguos fontes reperiri, sed magnam siccitatem, vbi terra educta est. Idem ex Eclipsibus, & foueis pro puteis effossis manifestum euadit.

Quæ est forma aquæ? R. Experientia docet, aquam rotundæ figuræ esse: Nam partes eiusdem sunt naturæ & figuræ cum toto. Partes, vt guttæ, stillæ sunt rotundæ. ergo totum aquæ corpus est rotundum.

Neander in sua physica.

Quid præterea de aqua notandum? R. Aquam cæteris omnibus Elementis imperare. Nam cœlum temperat, terram fœcundat, aërem exhalationibus suis incorporat, omniúmque nascentium in terra caussa existit.

DE

DE TERRA.

Quid est terra? R. Est Elementũ grauissimũ, frigidum & siccum, secundũ se totũ immobile, mundi centrum.

In terra Sulphur, alumen, pix, item montes perpetuò ardentes vt AEthna in Sicilia, & Hecla in Islandia inueniuntur. Ergo terra non est frigida: R. Discernendum inter terram Elementum, & inter terram humoribus & pinguedine imbutam, flammámque recipientem, quæ non est Elementum, sed est terræ & aquæ coagulum: vt nostra terra non est Elementũ, licèt reuera sit terra, sed est Elementi mixtio: Terra autem Elementũ sua natura frigidum & siccum, licèt accidentia in hoc varient, vt in aqua, aëre, & igne.

Terra cinerosa & arenosa poteſtne dici terra? Respondet Bodinus, eiusmodi terram non posse dici terram, modò plus cineris aut arenæ habeat, quàm terrestris naturæ, vt argentum, cui plus æris inest quàm argenti, non potest dici argentum purum. Bodin. lib. 2. theatri Naturæ.

Terra & Cinis quomodo ergo differunt? R. Terra est Elementum sua materia & forma constans. Cinis verò est fex Elementarium corporum, ignibus ambustorum, & quasi materia prima suâ formâ spoliata.

Quæ est terræ figura? R. Terra est rotunda; quod sic patet, quia Sol, Luna, & cæteræ Stellæ non oriuntur, nec occidunt omnibus terræ habitatoribus eodem tempore, sed priùs Orientalibus, pòst Occidentalibus. Quod etiam ab Eclipsibus perspicuum fit. Si enim terra non esset Sphærica, vno momento vbique locorum conspiceretur.

Idem etiam à polis confirmatur. Nam procedentibus à Septentrione versus Austrum, polus arcticus subinde humilior redditur; Sed contendentibus ab Austro versus Septentrionem, semper polus idem altiùs eleuatur.

Multi sunt montes, & valles in terra, ergo non est rotunda? R. Montes & valles nihil impediunt terræ rotunditatem. Nam ad terræ magnitudinem collata minimum momentum afferunt.

Consule de hac re Mathematicos & Geographos, inter alios Ioh. de Sacrobusto & Munsterum.

Quomodo terra diuiditur? R. Vt cœlum in zonas partitur, ita quoque terra diuidi potest: In torridam, in temperatam Septentrionalē & Meridionalem, & in Frigidam Arcticam & Antarcticam. Deinde in Climata 23 diuiditur, in quibus vnum ab alio per dimidiæ horæ spatium distat, numerādo ab AEquatore versus vtrumq; polum. Vbi igitur dies longissimus est 12 horarum cum dimidia, ibi primum clima dicitur esse. Eleuatio verò poli 12 graduum cum 3 scrup. primis.

Neander in sua Cosmographia.

Vltimò verò partitur in tres partes primarias, Europam, Asiam, & Africam. Quibus America & Magellanica, quæ nuper Hispanorum nauigationibus inuentæ sunt, adduntur.

DE ELEMENTORVM QVALITATIBVS.

Respondit

IOHANNES MICHAELIUS, Iunior, Danus.

QVid est *Qualitas?* R. Est in Elementis operandi efficacitas.

Quotuplices sunt Qualitates? R. Duplices, primæ & secundæ.

Quot sunt Primæ Qualitates? R. Secundum Aristotelem, & alios Peripateticos, sunt quatuor: Calor, Frigus, Humiditas, & Siccitas: Sed Bodinus in suo theatro humiditatem non qualitatem, sed substantiam esse, statuit.

Cur

Cur dicuntur Primæ? R. Primò, quia per has propriè inter se Elementa agunt: Deinde, quia ex commixtione & actione primarum qualitatum Secundæ oriuntur: vel, vt alij volunt, quòd sint validissimæ & efficacissimæ.

Cur Lux non numeratur inter has qualitates? R. Quia Lux non tantùm Elementis, sed etiam cœlo competit: Qualitates primæ dictæ, sunt in Elementis tantùm, & per eas etiam inter se agunt.

Quomodo differunt Elementa? R. Duobus modis: Motu & Qualitatibus. *1.* Motu, nam Leuia Elementa suâ naturâ secundum rectam lineam sursum mouentur; Grauia verò deorsum. Deinde, Qualitatibus primis: Nam ignis est calidus & siccus: aër est calidus & humidus: Aqua frigida & humida: Terra frigida & sicca. Arist. lib. 2. de generat. & corrupt. lib. 3.

Quid est Calor? R. Est qualitas agens, congregans homogenea, & disgregans heterogenea, vt calidum in igne congregat aurum cum auro, argentum cum argento, æs cum ære, separatq; æs & cuprum ab auro & argento.

Quid est Frigus? R. Est qualitas prima congregans homogenea & heterogenea simul, vt frigus congregat lapides, lutum aqua.

Habentne hæ qualitates primæ alia Effecta? R. Præter propria effecta etiam quædam communia habent. Propria Caloris effecta hæc sunt; congregare homogenea, & disgregare heterogenea, separare, rarefacere, attenuare, digerere, fundere, incidere, dissoluere, laxare, aperire, attrahere. Sic propria frigoris sunt, homogenea & heterogenea congregare; item condensare, obstruere, corpora crassiora & grauiora reddere, & stupefacere.

Communia verò sunt, quæ vtrique per accidens com-

petunt, vt calor & frigus pariter deficcant: calor, quia resoluit & consumit: frigus, vel quia calorem educit, vel quia poros obstruit, vt in luto fit, ne humor se dilatare possit.

Arist: lib. 2. de generat. & corrupt. cap. 2. & c. 4.

Quid est humor? R. Est qualitas patiens, quæ difficulter termino suo, facilè autem alieno continetur, vt aqua per se non consistit, sed diffluit, facilè verò vase clauditur.

Quid est siccitas? Est qualitas patiens, quæ facilè termino suo, difficulter verò termino alieno continetur, vt lapis suâ figurâ clauditur, nec cedit vasi.

De Qualitatibus secundis.

Arist: lib. de generat. & corrupt. c. 10.

QVid sunt secundæ Qualitates? R. Sunt, vt Aristoteles definit, quæ ex primarum temperatura & mixtione oriuntur: vel per quas natura corporum secundariò & minùs principaliter agit.

Quot numerantur secundæ Qualitates? R. Duodecim præcipuè: Nam ex *calore* oriuntur, Leue, Subtile, Rarum: ex *Frigore*, Graue, Crassum, Densum: ex *Humore*, Lene, Molle, Lubricum: Ex *Sicco*, Asperum, Durum, Aridum.

Quid est Leue? R. Est qualitas secunda, quæ suâ naturâ à centro sursum tendit.

Quid Subtile? R. Est, quod partes subtiles & tenues habet.

Quid Rarum? R. Est, quod partes habet rarefactas & extenuatas.

Quid est Graue? R. Quod suâ naturâ deorsum ad centrum fertur.

Quid Crassum? R. Est, quod partes habet solidas.

Quid est Densum? R. Est, quod partes habet compactas.

Quid

Quid est LENE? R. Est, quod superficiem habet æqualem.

Quid est MOLLE? Est, quod partes habet molles, tactui facilè cedentes.

Quid est Lubricum? R. Est, quod habet partes lubricas, vt glacies, in qua commodè pedem figere ne quis possit, vel vt Anguilla, quæ facilè è manibus elabitur.

Quid est Asperum? R. Est, quod superficiem habet inæqualem.

Quid est Durum? R. Est, quod partes habet duras, tactui resistentes.

Quid est Aridum? R. Quod partes habet humoris expertes, vt Lapis.

Quid præterea ex mixtione primarum qualitatum oritur? R. Præter qualitates tangibiles enumeratas, aliæ sensibiles oriuntur, quales sunt: Colores, odores, & Sapores.

DE COLORIBVS.

Respondit

NICOLAVS ERICIVS, Danus.

Q*Vomodo Colores percipiuntur & discernuntur?* R. Beneficio lucis.

Quid est Lux? R. Est qualitas in Corporibus cœlestibus, & in igne, aëre, & aqua, ostendens & sese, & alia Corpora: vel est actus Corporis lucidi, quatenus lucet.

Est enim Lux ante omnia Corpora mixta creata; Sic etiam ante Solem, Lunam, ipso primo die, dicente Domino: Fiat Lux.

Quid verò est Lumen? R. Est qualitas visibilis à luce deriuata tanquam imago. Vt enim Lux videtur per Lumen: ita Lumen videtur per VMBRAM, qua terminatur & describitur, nempe terminis opaci & vmbrosi corporis. Vel. lib 4. cap. 7.

Quid est Vmbra? R. Est priuatio lucis opaco corpore interposito impeditæ, quod radium incidentem certissimis lineis & certo spatio arcet. Triplicē Vmbram constituunt: alia est κυλινδροειδὴς, καλαθοειδὴς & κωνοειδὴς.

Quid est Color? R. Est qualitas mixti corporis, orta à commixtione lucidorum corporum cum obscuris.

Color duplex est; Simplex & Mixtus. Simplex est, qui è nullis alijs constat, vt albedo, & nigredo.

Quid est albedo? R. Est Color simplex, in corpore tenuiore, multum habens luciditatis, visum disgregans.

Quid est nigredo? R. Est color simplex, in corpore crassiore, multum habens obscuritatis, luciditatis parum, visum contrahens.

Quid est mixtus color? R. Est, qui è simpliciū commixtione & temperatura oritur.

Quot numerantur Species medij seu mixti coloris? R. Quinque: Ruber, qui est color, ex albi & nigri contemperatione ortus.
Flauus, qui est ex pluri albo & pauciore rubro.
Croceus, qui est ex pluri rubro & pauciore albo.
Viridis est ex pluri nigro & pauciore rubro.
Purpureus verò est color ex pluri rubro, & pauciore nigro.

DE ODORIBVS.

QVid est ODOR? R. Est, vt definit Velcurio, qualitas odorabilis ex sicco concocto per vim caloris in humido.

Liеblerus in in sua phys. Bodin. lib. 4. theat. natur. Freigius lib. 6. Scribonius lib. 1.

Quotuplex est odor? R. Duplex bonus & malus. Bonus est, qui plus aereæ naturæ refert, & ex partibus suauibus & rectè temperatis, & calore cœlesti magis elaboratis oritur.

Malus vero est, qui ex partibus vitiosis & malè siccatis oritur: isq; naturâ suâ cerebro valde noxius. Casm. in Somatol. cap. 16.

Quæ sunt Species odoris? R. Quia calor varijs modis siccum decoquit, & siccum inæqualiter humido miscetur, diuersæ odorum species oriuntur, quorum alius Aromaticus, alius salsus, alius amarus, alius acutus, acetosus, vnctuosus, stipticus, pinguis, dulcis, grauis, fœtidus, & si quæ sunt aliæ species.

Vtrum odor est substantia vel qualitas? R. Quidam Philosophi corporeum defluxũ statuerunt esse, non verò qualitatem, quia existimant ipsum halitum, qui è re odorata egreditur, esse odorem, cùm tamen ille halitus sit velut ὄχυμα vehiculum & subiectum odoris. Aristoteles verò contrà demonstrat, odorem non esse exhalationem corpoream. In libr. de sensu & sensibilibus.

Habentne odores vim nutriendi? R. Aristoteles negat odores nutrire, quia nullum simplex corpus nutrit: at odor est tale corpus: ergo. Medici verò affirmant, sententiam corroborantes testimonio Plinij asserentis, in India ad fontẽ Gangis esse populos (qui dicti sunt ἄσωμοι, quòd ore careant) odore florum, radicum, & arborum saltem viuentes. Vide Casm. Somat. c. 18.

Estne hominis proprium, voluptatem ex odoribus capere? R. Aristoteles statuit, nullum animal præter hominẽ ex odore voluptatem seu delectationem capere, cui sententiæ Scaliger subscripsit: verùm quidam tamen contrarium probare conantes, afferunt exemplum apium, qui thymi, felium, qui muriũ; Muscarũ, qui mellis odore delectantur; aliorúmque ἀλόγων, quæ ingratis odoribus fugantur, vt Muscæ sulphure, Mures vngula mulina adusta: Sed sciendum, ea animalia bruta non delectari odore, quà odor est, sed quà est indicium apti nutrimenti. Scaliger. Exercitat. 404. Sect. 4.

DE SAPORIBVS.

Ad quas respondit

IOHANNES HOIERVS,
Hafniensis.

Freigius lib. 6.

QVid est sapor? R. Est qualitas gustatilis in succo, in quo humiditas vincit siccitatem terrestrem, calore Solis vel ignis vtrumque digerente.

Lieb. lib. 2. de Anima. cap. 9. Arist. lib. 2. cap. 10.

Vel est, vt Lieblerus definit ex verbis Aristotelis, affectio quædam sicci, in humido per calorem generata, quæ gustum de potentia in actum traducit.

Absque humore nihil potest sensum Saporis afferre. Proinde, quicquid est sapidum, aut actu aut potentia humorem aliquem habet.

Quotuplex est Sapor? R. Duplex: Laxans & astringens. Laxans est, qua lingua diffunditur & dilatatur quasi, nec eo læditur aut exulceratur, suáque naturâ calidus est, vt dulcedo & pinguedo.

Quid est dulcedo? R. Est sapor calidus, linguam leniens, & cum suauitate applanans, qualis est in melle, lacte, saccaro, vino.

Arist: lib. 2. cap. 10. & 11.

De dulcedine notetur regula: Nutrimentum hominis oportet esse dulce, aut dulci permixtum. Dulcia enim jungunt, implent, & restituunt erosas particulas.

Quid est pinguedo? R. Est sapor eadem ferè facultate pollens, sed absq; suauitate, qualis est in butyro, oleo, & carne.

De pinguedine hoc notetur, quòd mediocria prosunt nutrimento; sed nimis pinguia nocent, quia in ventriculo supernatare, & concoctionem impedire solent.

Quid est astringens? R. Est Sapor astrictionem faciens, qua offenditur & exasperatur lingua.

Quo-

Quotuplex est astringens? R. Duplex: Calidus & frigidus. Calidus rursum, vel amarus, vel acris, vel salsus. Frigidus verò vel est acerbus, vel austerus, vel acidus. Arist. lib. 2. de Anima cap. 10. Freigius lib. 6. Scribonius lib. 1. Casm. lib. 1. cap. 16. Bodin. lib. 4. theat. Natur.

Quid est amaritudo? R. Est sapor linguam mordens, & ad profundum penetrando vehementer ipsam astringens; in terrestri crassa natura, in qua calor & siccitas excedunt, qualis in felle nitro, absynthio, marrubio. Amara putredini dicuntur resistere, vermes ex putrida materia generatos enecare.

Quid est acrimonia? R. Est sapor linguam mordicans, vrens, penetrans, & dissoluens: in tenui natura est, in qua caliditas & siccitas superant.

Quid est Salsedo? R. Est sapor linguam detergens disgregando & exsiccando, vt in Sale.

Cur Sal prohibet putrefactionem? R. Quia desiccat, extenuat & erodit humiditates: ideo mollem carnem indurat, & duram reddit molliorem. Salsus sapor est in natura terrestri, crassa, calida, & sicca.

Hactenus calidi Sapores, sequuntur frigidi.

Quid est acerbitas? R. Est sapor frigidus linguam fortiter contrahens, & velut humorem ab ea exprimens; qualis in pyris sylueſtribus, glandibus. Estque in natura terrestri, crassa, frigida, & sicca.

Quid est austeritas? R. Est sapor frigidus, linguam minùs contrahens: Qualis in fructu myrti, malicorio. Estq; Sapor iste in natura terrestri, crassa, frigida & sicca. Etsi enim inter acerbitatẽ & austeritatem aliqua est vicinitas: tamen in hoc differunt, quòd austera plus habent caloris & humiditatis, quàm acerba.

Galenus de vinis austeris inquit: Vina austera magis corroborant ventriculum, & minùs officiunt cerebro. Freigius lib. 6. phys.

Quid est aciditas? R. Est sapor frigidus, linguam mordendo constringens & refrigerans, ac citra calefactionē attenuans, diuidens & vellicans. Hic sapor est in tenui natura, frigida & sicca, in qua frigiditas dominatur.

Cur Acida mouent appetitum? R. Quia humores vitiosos, in orificio collectos, diuidunt & pellunt, & mordicatione non vrente irritant ventriculum.

DE QVALITATIBVS OCCVLTIS.

Phil. lib. 2. physices Vel. lib. 2. cap. 23.

QVid vocas *Qualitates occultas?* R. Illas, quæ aliàs vocari solent virtuales, Specificæ, seu, vt Græci loquuntur, δύναμις φυσική, hoc est, efficacia à forma rerum progrediens, vt in magnete vis trahendi ferrum.

Cur dicuntur virtuales? R. Propter singularem & mirificam quandam virtutem, qua ex effectis pollere videntur.

Cur Specificæ? R. Quia sunt facultates efficiendi certas actiones naturales, quæ sunt propriæ certæ Speciei, vt enula campana affert hilaritatem.

Quid quærunt de his physici? R. Vnde proprietas illa originem suam habeat, an ex peculiari primarum qualitatum temperamento, an verò in primis qualitatibus caussæ eorum effectorum monstrari vel dari possint.

Vel: lib. 2. cap. 23.

Quid sentis de temperamento? R. Ego statuo, aliquas in primarum qualitatum temperamento caussas esse, & deprehendi talium operationum posse: Sed hæ specificæ virtutes in omnibus rebus non possunt reuocari ad primas qualitates.

Quid de caussis sentis? R. Caussas talium effectorum in primis aut secundis qualitatibus ostendi semper non posse, sed illa diuinæ prouidentiæ opus & testimonium esse, statuamus. Vt Pœoniæ vis ad propellendum morbum caducum: fœniculi in Ophthalmia: Scolopendriæ in hepaticis.

Quo-

Quomodo vocatur mutua illa rerum compaſſio: R. ἀντιπάθεια & συμπάθεια.

Quid eſt Sympathia? R. Eſt naturalis rerum concordia. talis eſt in tauro feroce & ficu arbore, ad quam ſi alligetur, miteſcit. Olea, virginis alicuius manu decerpta & plantata, vberiores fructus profert.

Scribonius lib. 1. phyſ. Caſmannus Somatol. cap. 19.

Quid eſt Antipathia? R. Eſt naturalis rerum diſcordia: qualis eſt inter roſarum odorem & Scarabæos, illi roſarum odore enecantur; febricitans leo vorata Simia conualeſcit.

Suntne iſtæ occultæ qualitates in Elementis? R. Philippus Melanchthon in ſua phyſica negat occultas illas ſeu virtuales qualitates ineſſe Elementis, ſed primas & ſecundas, quæ ſenſu iudicantur. Et tantum de his.

DE MIXTIONE ET PERMVTATIONE Elementorum & Mixtilium.

Reſpondit

CLAVDIVS GAGGE, Danus.

QVid eſt mixtio? R. Eſt Elementorum & mixtilium alteratorum compoſitio ſeu vnio.

Quotuplicia ſunt mixta? R. Duplicia: Alia ſunt perfectè mixta, alia imperfectè mixta.

Quid eſt perfectè mixtum? R. Eſt, vbi fit magna alteratio, ſeu, ad cuius compoſitionem concurrunt omnia quatuor Elementa, vt ad aurum, argentum.

Ariſt: de ortu & interitu lib: 1. cap. 10. Vel: lib. 2. cap. 24. Seidel. lib. 2. cap. 2.

Quid eſt imperfectè mixtum? R. Vbi non fit magna alteratio; ſeu, quod tantùm ex vno vel duobus Elementis eſt compoſitum, vt Meteora; cometæ, venti, fulmina.

Corpora mixta quomodo in compositione alterantur? R. Elementa & alia mixtilia alterantur non tantùm qualitatibus, sed ita mutantur, vt pristina forma amissa, nouam corporis noui nascentis formam, nascenti à natura destinatam, recipiant.

Quot ad mixtionem conditiones requiruntur? R. Tres præcipuæ: Prima, vt mixtilia sint inter se connexa, in vnúmque corpus compositum congesta, vt se mutuò tangere possint. Absq; contactu nulla actio aut passio existit.

Lieb. lib. 1. de ortu & interitu. c.6. Hermol. Barb: lib. 3. Titel. lib. 5. cap. 8. Vide Zabar. de hoc loco.

Contactum idcirco propriissimè in hisce corporibus inferioribus fieri, perspicuum euadit, quæ superficies simul junctas habent, cùm sint separatæ magnitudinis, & vicissim agant & patiantur. Non verò in corporibus cœlestibus, cùm ea tangunt & mouent inferiora, non verò vicissim ab ijs tanguntur & mouentur.

Secunda conditio, vt mixtilia inter se agere & pati possint. ergo vel simpliciter contraria vel diuersa saltem sunt. Nam contraria ex contrarijs patiuntur, & agunt. Vnde vulgatum illud: Contraria contrarijs pelluntur.

Arist: lib. 1. de ortu & interitu. cap. 7. Lieb. lib. 1. cap. 7. Seidel. lib. 2. cap. 2.

Ergo ea, quæ inter se agunt, non possunt esse similia? R. Aristoteles hoc ipsum negat. Nam quod per omnia simile est, in simile non agit, aliàs fieret, vt idem in seipsum ageret; neq; agit in id, cum quo nullam naturæ conuenientiam habet. Sed inter quæ mutua actio & passio fieri debet, ea genere sint similia, specie verò dissimilia, qualia quidem sunt contraria, aut media inter contraria. Ita caliditas & frigiditas genere conueniunt, specie differunt. Simile autem, propriè loquendo, non agit in simile, sed potiùs conseruat & auget illud, vt ignis in ignem non agit, sed auget ipsum. Sic aër non agit in aërem, sed auget ipsum.

Tertia conditio est, vt mixtilia sese inuicem corrumpant,

pant, alterent, & transmutent à veteri sua forma in noui corporis nascentis formam.

Quæ sunt regulæ de mixtilibus obseruandæ?

Prima est, cuius jam nuper mentionem fecimus: Quòd ea, inter quæ mutua actio & passio fieri debet, genere cõueniant, specie differant, vt calor & frigus. Philip. lib. 2. Seidel. lib. 2. cap. 3.

2. Oportet debitam proportionem esse agentis & patientis, ita vt agens sit fortius patiente, nam si viribus æqualia fuerint, nec actio, nec effectus sequitur, vt calor animalis sit fortior nutrimento ingesto, aliàs concoctio fieri nequit.

3. Agentium & patientium debita fiat applicatio, ideo lignum procul igne positum, non potest vri. Item medium liberum & non impeditum, vt sagitta non feriet hominem, si murus intercesserit.

4. Naturalium agentium finis est, vt assimilent sibi passum vel qualitate, vel substantia, vt calor natiuus agit in optimam sanguinis partem, vt ex ea spiritus vitales & calorem progeneret.

5. Caliditas & frigiditas sunt actiuæ qualitates, & maximè caliditas. Humiditas & siccitas sunt passiuæ, & maximè siccitas.

6. Agens in agendo repatitur. Sed hoc ad primum agens accommodari nequit, quod nihil patitur, sed ad postremum agens: nec ad cœlum, nec ad obiecta accommodetur, vt color mouet oculos, sed non repatitur. Arist: lib. de ort. & inter. cap. 7. Lieb. lib. 1. de ortu & interitu. c. 7.

7. Tempus & mora quædam omnibus agentibus & patientibus naturalibus necessaria sunt, nihil enim horum in instanti agit aut patitur.

De propriis Elementorum.

Q*Vomodo Elementa sunt simplicia & pura?* R. Simplex dici- Arist: lib. 3. & 4. de cœlo.

 tur

Velcur. lib. 2. cap. 25. Seidel. lib. 2. cap. 2.

tur corpus, quod ex solis homogenijs partibus constat, & cùm Elementa ex talibus constant, propriè simplicia & pura vocantur: quæ tamen simplicitas ratione tantùm percipiatur, non verò sensu nostro. Compositum mixtum, impurum dicitur, quod ex partibus heterogenijs constitutum est.

Cùm Elementa sint generabilia & corruptibilia, unde generantur? Respondet Aristoteles, ex semetipsis mutuò generantur, atque in sese mutuò dissoluuntur.

Arist: lib. 3. de cœlo. c. 7. Seidel. lib. 2. cap. 2. Velcur. lib. 2. cap. 25. Herm. Barb. lib. 3.

Generatur ergo quodlibet Elementum ex quolibet? R. Aristoteles affirmat: cùm generatio sit ex contrarijs in contraria. Vbicunque enim contrarietas, ibi generatio & corruptio. at in Elementis est contrarietas. Ergo. Sed obseruandum hoc; Inter ea Elementa, quibus communia sunt symbola, facilior est transitus, vt faciliùs aqua in aërem, quàm in ignem mutatur.

Titel. lib. 5. cap. 12. Melanch. lib. 3.

Quomodo Elementa inuicem transmutantur? R. Elementa secundum se tota nō transmutantur, id est, nec generantur, nec corrumpuntur, aliámve mutationem subeunt, alioqui machina mundi periclitaretur, si tota terra vel aqua mutaretur. Sicut terra secundum se tota est immobilis, licèt partes terræ plerunque moueantur: Sic Elementa secundum partes suas sunt inuicem transmutabilia, h. e. vnum Elementum ex alio generatur, vnum in aliud corrumpitur.

Est ergo mixtio & compositio corporis naturalis? R. Maximè. Non enim est fatalis, neque fortuita, vt ipsa rerum experientia arguit.

Arist: lib. 2. de ortu & interitu. c. 7.

Quomodo Elementa sunt in mixtis? R. Elementa actu & forma sua non manent in mixtis, sed per virtutem & efficaciam, vt compositum ab vnoquoque Elemento qualitates

tates & vires, planè similes elementaribus, primas scilicet & secundas, receperit, secundum quas operatur æquè vt Elementa; vt verbi gratiâ: Sicut ignis Elementum calefacit, vrit: Sic ignis noster compositus calefacit, vrit. Et sic de reliquis. Herm. Barb. lib. 3. Zabarella, Seidel. lib. 2. cap. 2.

Quomodo mixtio & generatio differunt? R. In generatione tota materia prorsus aboletur & corrumpitur, vt cùm ex ouo generatur pullus, tota oui substantia corrumpitur, vt nihil de ouo in pullo supersit. In mixtione verò semper eadem materia subiecta sensilis manet. Arist: lib. 2. de ortu & interitu. Lieb. ibidem. Herm. Barb. lib. 3. Seidel. lib. 2. cap. 3.

DE SPECIEBVS ALTERATIONIS.

Respondit

IANVS GÆORGIVS STAFVANGRIVS, Noruegus.

Q*Vot numerantur alterationis species?* R. Tot species alterationis numerari possunt, quot sunt qualitates primæ & secundæ: Vt calefactio, frigefactio: humectatio, desiccatio: condensatio, rarefactio: coagulatio, liquefactio: induratio, mollificatio: Hæ species & similes, cognitis Elementorum naturis, vtcunque judicari possunt. Philip. lib. 3. Seidel. lib. 2. cap. 6.

Quomodo discernuntur alterationes, quæ fiunt in mixtis? R. Quædam conseruationi misti conueniunt, & dicitur coctio: quædam verò afferunt corruptionem, & vocatur putrefactio.

Quid est coctio? R. Coctio, Græcis πέψις dicitur, est alteratio, quæ fit à calore naturali seu proprio, humidum & siccum ad conueniens temperamentum reducente. Arist: lib. 4. Meteor. c. 1.

Quis

Quis est finis coctionis? R. Finis est rei naturalis perfectio, siue id fiat in substantia, siue in accidente. Quantò enim magis res aliqua maturescit, tantò propiùs ad finem sibi destinatum accedit, vt in Embryone, pueris, adolescentibus, & in carne cruda apparet. Talis enim perfectio sæpe ab externo calore moderato adiuuatur, vt calore Solis, ignis, motionum, medicamentorum, fomentorum.

Quem modum coctiones seruare solent? R. Res coctæ solent crassiores & calidiores fieri, quia calor partes tenues digerit, eásque resoluit, & humiditatem nonnihil absumit, caliditásque superat.

Vide Arist: lib. 4. Meteor. & Lieb. lib: 4. c. 1, 2. & 3. Philippum & Seidelium de hisce alterationum speciebus.

Quot sunt species coctionis? R. Tres: πέπανσις maturatio, ἕψησις elixatio, & ὄπτησις assatio.

Quid est πέπανσις, maturatio? R. Est coctio talis, quando in fructibus præcipuè humiditas seminalis ita maturatur, vt ex ijs similis species germinare ac propagari queat: vt in pomis, pyris, prunis, &c.

Vnde fit maturatio? R. Principaliter à proprio & natiuo calore fit, sed tamen ab externo calore & aëre adiuuatur.

Quid est contrarium πεπάνσε? R. ὠμότης cruditas, h. e. imperfectio maturationis, cùm videlicet calor natiuus imbecillior est, quàm vt humidum percoquere possit.

Quid est ἕψησις? R. Est coctio humidi crudi, facta à calido humido externo & circumfuso; vt cùm carnes in olla elixantur.

Quod est contrarium eius? R. μόλυνσις, i. e. inquinatio seu flacciditas, est imperfecta elixatio, quando videlicet cruda humiditas non prorsus deponitur, propter inopiam caloris humidi externi.

Quid est ὄπτησις? R. Est coctio humidi interni, facta à calore sicco externo, vt cùm carnes & pisces igne torrentur.

Quod

Quod est contrarium ὀπτήσει *seu assationi?* R. στάτευσις seu vstulatio, quæ est imperfecta assatio, quando humidũ internum ab igne externo debiliore non sufficienter concoquitur & subigitur.

Quid est coagulatio? R. Est, quando cum humore conglutinantur & copulantur partes siccæ, quod fit aliàs à circumstante frigido, cùm multa aquea humiditas comprimitur.

Congelatio huic vicina est, quæ fit, cùm partes fluidæ frigore comprimuntur & durescunt.

Quid est liquefactio? R. Est solutio coagulatorum.

Possuntne omnia concreta liquescere? R. Minimè. Lapides enim & Lateres non possunt liquescere, quia in ijs parum humidi, & multum terræ. Metalla verò liquescunt, quia multum viscosi, aërei & bene continuati humidi habent.

Quæ non possunt coagulari? R. Corpora illa, quæ non sunt aqueæ naturæ, nempe, quæ abundant calido sicco, vel calido aëreo, vel aëre, vel terra, ut oleum, vinum, mel.

Quotuplex est generatio? R. Duplex: Totalis & partialis. Arist. lib. 4. Meteor. cap. 1. Totalis est, cùm integrũ indiuiduum nascitur, vt homo ex homine. Partialis est conuersio nutrimenti in substantiam partis nutriendæ. Lieb. ibidem

Quare nutritione opus est? Quia calor naturalis continuè agit in humidum radicale, eiusq; aliquam partem consumit: igitur necesse est nutrimento restaurari id, quod absumtum est. Phil. lib. 3. phys.

Quid vocas humidum radicale? Est id humidum, quod per generationem & primam fœtus formationem membris radicalibus inest, vt calor naturalis eo alatur & conseruetur.

Lege Aristot: librum de longitudine & breuitate Vitæ.

Cùm semper corpora nutriantur, quare non semper vita manet? R. Quia pars humidi nutrimentalis & aduenientis impurior est humido radicali; igitur, quia calor naturalis post corporis ἀκμὴν infirmatur, pars instaurans non virtutem amissæ parti æqualem habet: Et ita calor paulatim minùs in substantiam corporis vertit; & quod vertit, non potest percoquere. Et vicissim nutrimento caloris decrescente, impurioréque facto, calor debilitatur.

Arist: lib: 1. de iuuentut: & senectut: cap: 4. Et lib: de respirat: cap: 17

Quomodo ex hac doctrina Aristoteles vitam & mortem definit? R. Aristoteles definit vitam esse conseruationem caloris natiui: Mortem verò esse eiusdem caloris natiui destructionem.

DE PVTREFACTIONE.

Arist: in lib: de respir: cap: 17.

QVid est putrefactio? R. Est corruptio natiui caloris in humido, proueniens ex alieno siue externo, & non naturali calore.

Quando fit putrefactio? R. Cùm calor natiuus desinit regere humidum, superatus à calore externo præternaturali.

Potestne etiam corruptio fieri à frigore? Maximè. Cùm enim calor natiuus à frigore superatur, corruptio rei sequi poterit, sed talis corruptio non est naturalis, sed violenta, vt plantæ & animalia interdum frigore intensissimo pereunt.

Quot sunt species putrefactionis? R. Duæ præsertim sunt species putrefactionis naturalis; vna simpliciter putredo dicitur, altera ὄλωϛ.

Arist: lib: 1. de Anima.

Caditne putrefactio in corpus viuum? R. Corpus viuum, quatenus est viuum, non patitur putrefactionem, quia calor ἔμφυτος & vitalis resistit: cùm putrefactio sit corru-

ptio

ptio non vitalis, sed naturalis caloris, vt ex definitione patet.

Caditne putrefactio in Elementa? R. Aristoteles existimauit, terram, aquam, aêrem putrefieri: quod tamen non simpliciter de substantia Elementorum est intelligendum, nam cùm secundum substantiam corrumpuntur, tum in se mutuò, instrumento & actione primarum qualitatum, permutantur: sed de corporibus ex Elementis compositis seu mixtis intelligendum est. Arist: lib. 3: de cœlo c.6. Et de gener: & corrupt: lib: 2. cap: 6.

Quare Aristoteles excipit ignem à putrefactione? R. Quia putrefactio fit à calore extraneo, ignis enim Elementaris nullum alium ignem vel calorem extra se habet, quo ipsius φύσις ad substantiarum mixtarum generationem inhabilis reddi possit.

Quæ statuitur materia putrefactionis? R. Materia, quæ putrefieri potest, vniuersaliter est calida & humida. Exemplum habemus in lapidibus & aromatibus exsiccatis, putredinem non admittentibus, quia parum humidi ijs inest. Igitur corpora calida & humida, secundum Galenum, magis sunt pesti obnoxia, quàm sicca. Philip: lib: 3. Phys.

Quæ est caussa efficiens putredinis? Illa duplex est: Positiua & priuatiua. Positiua, est calor præternaturalis, corrumpens natiuum seu innatum. Priuatiua verò est, quòd humidum destituitur gubernatione.

Quæ est forma putrefactionis? Est ipsa cœni illuuies, sed alteratio præcedens est ille ipse modus, velut accensio caloris præternaturalis, & desertio gubernationis humidi.

Tantum de Elementis, eorumq; Qualitatibus, mixtione, permutatione, alteratione, & putrefactione.

QVÆSTIONES

DE METEORIS, EX LIBRIS METEOROLOGICIS ARISTOTELIS, STUDIO M. CAROLI BANGII, DANI, COLLECTÆ.

Respondit

IOHANNES HOIERVS, Hafnienſis.

Ariſt: lib. 1. Meteorol. c. 1 Velcur. lib. 3. cap. 1. Lieb. lib. 1. meteor. c. 1. Seidel. lib. 2. cap. 1. Freig: lib. 25. Scribon. lib. 1. Phyſ.

QVid eſt Meteorologia? R. Eſt, vt definit Ariſtoteles, ſcientia eorum, quæ in ſublimi fiunt.

Circa quid verſatur? R. Circa Meteora.

Quid eſt Meteoron? R. Eſt corpus imperfectè mixtum, ex vapore aut exhalatione in aëre vel terra effectum.

Quotuplex eſt Meteoron? R. Duplex: ὑποσάτικον, & ἐμφάτικον. Hypoſtatica dicuntur ea, quæ ſeſe habent vt ſubiecta, & per ſe ſubſiſtunt. Emphatica dicuntur, quæ ſeſe habent ſicut accidentia, neque per ſe ſubſiſtunt, vt iris hærens in nubibus, iiſq; diſſipatis euaneſcit.

Quomodo diuiduntur hypoſtatica? R. In illa Meteora, quæ abundant exhalatione, & quæ abundant vapore.

Quotuplex eſt exhalatio? R. Duplex: Alia eſt ignea & actu ardens, vt in Cometis, fulmine, Chaſmate, ſtellis cadentibus: Alia aërea, h. e. igne actu ardente priuata, vt in ventis & terræmotibus.

Quæ ſunt hypoſtatica, quæ fiunt ex vapore prædominante? R. Illa aut ſunt in medio aëre formata, vt nubes, nix, pluuia, grando: aut in infimo aëre, vt Nebula, ros, manna, pruina, &c.

Quæ ſunt meteora Emphatica? R. Quæ incurrunt in ſenſus externos, vt ſunt primò Colores in Parelijs, Paraſelinis, halonibus, virgis, & iride. Secundò, Soni, vt in fulmine, vento, terræmotu.

Quæ

Quæ est caussa efficiens Meteororum? R. Ea duplex est: Propinqua & remota. Propinqua est cœlum & astra, quæ semper suo calore agunt in inferiora corpora, & ex ijs fumum pro Meteoris eliciunt. Remota verò est ipse Deus. Lieb. lib. 1. cap. 2. Veleur. lib. 3. cap. 2. Seidel: lib. 2. cap. 1.

Quæ est materia meteororum? R. Materia sunt fumi ex terra & aqua exorientes. Terra plurimos habet poros & meatus, ex qua calor Solis & Astrorum extrahit duplicem fumum, exhalationem & vaporem.

Quid est exhalatio? R. Exhalatio, quæ Græcis dicitur ἀναθυμίασις, est fumus calidus, siccus, tenuis, inflammabilis, è terra calore Solis in sublime euocatus & elaboratus. Arist: lib. 1. meteor. c. 2. Velcur. lib. 3. cap. 1. Lieb. lib. 1. meteor. c. 2.

Quid est vapor? R. Vapor, Græcis dicitur ἀτμίς, est fumus calidus, humidus & crassus, non inflammabilis, ex terra & aqua calore Solis in sublime eductus, vbi congelatur, vel resoluitur. Freig. lib. 25. Seidel. lib. 2. cap. 1. Scribon. lib: 1.

Quæ est caussa formalis? R. Ea deinceps in singulis meteoris explicanda, quòd nempe alia sunt ignita, alia aërea, alia aquea. Hermo. Barb lib. 4. c. 1.

Quæ est caussa finalis? R. Ea duplex potest constitui: Alia diuina, alia Physica, animantium nempe & plantarum, aliarúmque rerum naturalium conseruatio & commoditas.

Quódnam est subiectum meteororum? R. Subiectum duplex est, aër, & terra.

Quomodo aër diuiditur? R. In tres Regiones: In supremam, quæ est calida & sicca. In mediam, frigidam & humidam. Et in infimam, quæ ambigua est, h. e. modò calidam, modò frigida: de quibus suprà in Elemento aëre dictum est.

Quot meteora fiunt in suprema aëris regione? R. Sex: Cometa, Lampas, Bolis, trabes, stellæ cadentes, & chasma.

Quot fiunt in media aëris regione? R. Vndecim: Ventus,

nubes, pluuiæ, nix, grando, Parelius, paraselena, halo, virgæ, iris.

Quot in infima regione? R. Quinque: Ignis fatuus, Nebula, ros, manna, pruina.

Quot in terræ recessibus generantur? Terræmotus, flumina, fontes, & maris salsedo.

Caput II. De Meteoris supremæ aëris regionis.

DE COMETA.

QVid est Cometa? R. Est exhalatio in summo aëre, pinguis & viscosa, à stellis incensa, & orbiculariter ad motum astri, sub quo nascitur, promota.

Vnde habet nomen? R. ἀπὸ τῆς κόμης, quasi comata stella, non quòd sit stella, sed quòd à nobis è longinquo conspectus, Stella esse videatur.

Plin: lib. 2. cap: 25. Ari: lib. 1. Meteor: c. 7. Bodin: lib: 1. theat: Nat: Vide Goel. disp. phy. 5

Quot sunt species cometarum? R. Etsi plurimæ sint cometarum figuræ, teste Plinio: tamen cum Aristotele duas tantùm retinemus species, crinitũ nempe & barbatum.

Quid est crinitus? R. Crinitus cometa dicitur, cùm flamma æqualiter circa corpus spargitur, græci κομήτης.

Quid est barbatus? R. Est cùm flamma in longum exporrecta est, græcis vocatur πωγωνίας. De speciebus alijs cometarum, quæ huc referri solent, vide Plin. loco suprà citato, Freigium lib. 25. Seidel. lib. 2. c. 6.

Plin: lib: 2. cap: 25. Vide etiam Senecam de Cometis.

Quamdiu conspiciuntur cometæ? R. Plinius ex historijs obseruatum annotauit, breuissimũ, quo cernerentur, spatium septem dierum esse; Mediocre 40 dierum; Longissimum octuaginta: aut, vt alij malunt, centum octoginta, qui efficiunt 6 menses.

Quæ est caussa efficiens cometarum? R. Lumen Solis &

& stellarum, materia verò sunt fumi calidi & viscosi: Forma verò est ipsa ardentis halitus flamma. Quas caussas in sequentibus meteoris omittam, cùm ex definitione cognosci possint.

Quæ est caussa finalis? R. Ea duplex est: Physica & prodigiosa. Physica est, qua significant tempestates, siccitates inusitatas, terræmotus, inundationes, pestem, bella, annonæ caritatem.

Prodigiosa verò & arcana significatio est, quòd portendunt clades populorū, mutationes imperiorum, interitus Regum & Principum, item alios in hominum negotijs euentus.

Hermolaus Barbarus refert, non solū Cometas, sed etiam alias aëris inflammationes regibus, Principibus, & alijs magnis viris aduersari, quòd delicata eorū complexio magis obnoxia sit & oportunior ad patiendum. Qui enim in licentia constituti sunt maiori, molliùs & effœminatiùs viuere solent. Hermol: Barb: lib: 4, cap: 7.

Quando fiunt Cometæ? Iis præsertim annis, qui mediocriter sicci & squalidi. Deinde citiùs tempore autumnali; rarissimè verò in vere, æstate, & hyeme generantur.

Quare raro conspiciuntur? Propter 3 caussas: 1. Quia rarò contingit coniunctio Planetarum superiorum, Saturni, Iouis & Martis, tempore Eclipsiū. 2. Quia rarò tanta copia exhalationū colligi potest, quæ sufficit incendio diuturno tam vastissimi corporis. 3. Qui misericors & longanimis Deus tardè punire volens, idcirco rarò signa iræ suæ, id est, cometas ostendere consueuit. Plin: lib: 2, c. 25. lege Vel: lib. 3. cap: 8. Freig: lib 25. c. de cometis. Seld: lib: 2, cap: 6.

Estne Cometa Stella? Fuerunt quidam statuentes cometam stellam esse, vt Anaxagoras & Democritus, item Pythagorici; sed nos cum Aristotele & alijs impressionem, non stellam esse, affirmamus. 1. Quia nulla stella crescit

aut

aut decrescit, tam inordinato modo vt cometa. 2. Quia nulla Stella consumitur vt cometa. 3. Quia nulla stella mouetur tanta celeritate, quæ etiam in oculos incurrit.

Quomodo vocantur meteora suprema aëris regionis? R. Meteora supremi aëris, excepto cometa, vocantur φάσματα, hoc est, Apparentiæ, quòd non certum situm aut motum, vt cometæ, custodiant. A cometis differunt motu, forma, & duratione. Minùs enim cometis durabiles, subitò conflagrant, sed ijs crebriores sunt.

Quotuplicia sunt φάσματα? R. Diuiduntur in ignes ascendentes & descendentes. Ascendentes sunt, non qui ascendunt, sed qui in superiore parte summi aëris consistunt, vt Lampades, Bolides, & trabes. Descendentes, qui in inferiore parte summi aëris consistunt, vt traiectiones seu stellæ cadentes, & chasmata.

Vel. lib. 3. c. 8. Freig. lib. 25. *Quid est Lampas?* R. Est exhalatio in aëre summo inæqualiter crassa, in cuius superiore parte exiguus ignis splendescit: dicitur etiam Lancea ardens, torris, pyramidis, ignis perpendicularis.

Quid est Bolis? R. Est exhalatio æqualiter crassa, sagittæ incensæ & vagabundæ figuram referens: nominatur aliàs hasta, titio, & capræ saltantes, quas Aristoteles αἶγας vocat, à forma quam referunt. Sunt enim duæ faces, de exhalatione, in duas partes diuisa, accensæ. Pontanus Stupas vocat.

De his meteoris vide Arist: Plin. Senec. & alios. *Quid sunt Trabes?* R. Sunt exhalationes in aëre summo, quæ alicubi sunt crassiores, alicubi rariores, & tamen inflammabiles. Huc Draco volans sic dictus refertur, qui nihil aliud est, quàm fumus flexuosus, & accensus, in medio incuruatus, & in modum crassi ventris dilatatus: ita nominatur, quia fermè refert draconem, non quòd per omnia sit simillimus Draconi.

Quid

Quid est Stella cadens? Est exhalatio in summo aëre superiùs accensa, & à nube iterum repulsa deorsum decurrens, vt cadere videatur. Dicitur etiam traiectio stellarum. Stella illud Meteoron appellatur, non quòd sit stella, sed quòd formam stellæ habeat.

Quid est Chasma? Chasma, quod aliàs hiatus seu vorago dicitur, est exhalatio discontinua, cùm ignis velut ex disrupto cœlo decidere videtur.

DE METEORIS MEDIÆ AERIS regionis.

Respondit

IOHANNES MICHAELIUS, Iunior, Danus.

QVid est Fulmen? Est exhalatio medij aëris, quæ per antiperistasin nubis coacta & accensa, summo conatu exitum quærit, & nube cum magno fragore rupta, deorsum defertur.

Arist: lib. 3. cap. 1. Vel. lib. 3. Lieb. lib. 3. c. cap: 1. Seidel. lib. 2. Bodin. in suo theat: lib: Herm: Bar: lib: 4. c. 12. Vales: de Sacr. phil: f. 275.

Breuiùs: Est vapor in nube inclusus, qui nubis frigore iaculatur, & ad inferiora pellitur.

Quomodo differt à Coruscatione? Coruscatio est exhalatio ignita per aërem sparsa, in quo consumitur. Fulmen verò est exhalatio velociter à nube expulsa, & cum magno impetu versus terram detrusa.

Quomodo differt fulmen & Lapis fulmineus? Fulmen est mera exhalatio fumida, aërea, inflammata, dissipans & comburens.

Lapis verò fulmineus est solidissimum corpus, quod in illo fulmine & coruscatione generatur & consolidatur.

Quotuplex est Fulmen? Veteres diuiserunt in fatidicum,

hoc eſt, quod alicuius fati prænuncius erat; & in brutum ſeu vanum, hoc eſt, quod nihil ſignificat. Alij verò diuidunt in vrens, infuſcans, & diſſipans.

Quid eſt vrens fulmen? Eſt, quod propter pinguem & craſsiſſimam materiam vrit & accendit corpora.

Quid eſt infuſcans? Quod propter craſſam materiam corpora infuſcat, ſeu nigrore quodam afficit.

Quid eſt diſsipans? Eſt, quod propter ſiccum ſpiritum vnitum & fortiſſimè eliſum acerrimè penetrat, obiecta corpora diſſipat, diuidit & frangit.

Quare turres & templa inprimis percutiuntur à fulmine? Propter duas cauſſas: 1. Quia loca alta ſunt propiora & magis obuia iniuriæ fulminis in aëre. 2. Quia prope templum cadauera in cœmeterijs ſepulta computreſcunt, & ſubinde calidos, viſcoſos & pingues vapores & halitus emittunt, qui materiam incendij ſæpe ita augent, vt aucta feriat vicinum ædificiũ. Vnde non malè feciſſe videntur, qui pulſarunt campanas vt agitaretur aër, & agitatus pelleret exhalationes. Qua de cauſſa ſæpe ſolent etiã magnos globos ex magnis tormẽtis bellicis explodere.

Verſiculi duo de ijs, quæ fulmine non tanguntur:

Laure manes intacta, tibi eſt contraria quercus,
Intactiq; abiunt & bos maris, & Iouis Ales.

Vide Senec. de hoc meteoro & Plin: lib. 2. cap. 51. Ariſt. lib. 3. cap. 1.

Quando fiunt fulmina? R. Hyeme & æſtate rariora ſunt fulmina. Vere verò & autumno crebriora, quia conſtitutio horum temporum plurimam materiam, tam ſiccam, quàm humidam præbet.

Quæ ſunt effecta fulminis? R. Inter alia, mirificè purgat aërem, noxios & ſuperfluos halitus conſumendo, ex quibus peſtis originem trahere ſolet.

Bod. lib. 2. theat. Nat. f. 202.

Quid verò Tonitru? Eſt ſonus factus in nubibus ex violenta percuſſione exhalationis calidæ & ſiccæ ad latera nubis.

Vnde habet nomen? R. à terrendo, quòd sonus eius terreat, qui interdum tam grauiter concutit omnia, ita vt cœlum decidisse videtur. Vales: de Sac. phil: f. 273.

Quotuplex est? R. Duplex: Vehemens & debile. Vehemens dicitur, quando exhalatio fortiter & impetuosè nubem rumpit. Debile verò, quando exhalatio discurrit in nube, & propellitur de latere in latus, absque ruptura & fractione nubis.

Effecta huius eadem sunt quæ fulminis.

DE VENTO.

Respondit

NICOLAVS ERICIVS, IVNIOR, Danus.

QVid est Ventus? R. Est exhalatio sicca, in medio aëre calore solis eleuata, quæ à frigore deorsum repulsa obliquè circa terram mouetur. Arist: lib: 2. Meteor. c. 4. Vel. lib. 3. cap: 9. Lieb. lib. 2. Meteo. c. 4.

Quomodo differunt ventus & Aura? R. Ventus est flatus, qui per totam aliquam terram, & regnum sentitur. Aura verò est aër leuiter impulsus, ex leui debilique exhalatione natus, citra vehementiam spirans, qui consistit intra suum tractum & certum spatium, vt in saltibus & ripis fluminum. Valesː de Sac. phil: f. 267. 277, 264. Bod: lib: 2. theat: Plin: lib: 2. cap. 45.

Quomodo diuiduntur venti? R. Quidam sunt regulares, quidam irregulares.

Qui sunt irregulares? R. Sunt venti prodigiosi, quorum caussæ penitus inuestigari nequeunt. De hisce Plinius, lib. 2. cap. 45. loquitur, specus quosdam esse, indesinenter ventos progenerantes. Et adducit exemplum de Illyrico vento in ora Dalmatiæ. Deinde de rupe Cyrenaica, vnde ventus surgit, quamprimùm manu contrectabitur. Ratio hæc videtur esse: Specus illi exhalationibus abundant, quibus agitatis, agitatur aër.

Qui sunt regulares? R. Quorum caussæ penitiùs possunt inuestigari. Et sunt duplices: Stati & repentini.

Stati dicuntur, qui statis & certis temporibus flare incipiunt aut desinunt. Et illi aut sunt generales, aut particulares.

Qui sunt generales? R. Qui spirant per omnes mundi angulos. Particulares verò sunt, qui spirant in certis quibusdam locis.

Quomodo diuiduntur generales? R. In Cardinales seu principales, & in collaterales seu minùs principales.

De his Manilius: Asper ab axe ruit Boreas, venit Eurus ab ortu, Auster amat medium Solem, Zephyrusque cadentem.

Cardinales spirant ex præcipuis quatuor mundi angulis, scilicet Eurus ab ortu, Zephyrus ab occasu: Boreas à Septentrione, Auster à Meridie.

Collaterales sunt, qui ad latera Cardinalium exsurgunt.

Principales venti duodecim numerantur, & his versibus memoriæ gratiâ comprehensi sunt:

Flat Subsolanus, Vulturnus, & Eurus, ab ortu,
Circius occasum, Zephyrusque Fauonius afflant,
Et qui de medio Notus venit, Aphricus, Auster:
Conueniunt Aquilo, Boreas, & Corus ab arcto.

Vide Plin: de ventis. lib: 2. c. 45.

Qui sunt venti pertinentes ad Septentrionales? R. Tres: ὀρνίθιαι, πρόδρομοι, & ἐτήσιαι. ὀρνίθιαι sunt venti Aquilonares, qui spirant vno & septuagesimo die post brumam, i. e. circiter 7 Calend. Martij. πρόδρομοι sunt venti Aquilonares, qui spirant octo præcipuè diebus, Caniculæ exortū præcurrentibus. ἐτήσιαι verò sunt venti Aquilonares, biduo post Caniculæ exortum surgentes, & perflant diebus 40.

Cur venti sunt frigidi? R. Venti licèt ex calido & sicco vapore nascantur: spirant tamen frigidi, quod accidit propter longinquum aëris motum per loca frigida.

Cur

Cur Zephyrus cogit nubes, cùm sit ventus mitis? R. Quia flat ex Pelago, vbi vasta est maris profunditas, ita vt ei facilè vapores cedant, quos in nubes congregat.

Qui sunt venti repentini? R. Qui subitò & vehementer oriuntur, atque subitò rursus occumbunt. Eius species quatuor sunt: Fragor, procella, vortex, turbo: quarum definitiones ex Velcurione, Freigio, & alijs pete. Velcur. lib. 3. cap. 10. Freig. lib. 25.

Quæ sunt caussæ cessationis ventorum? R. Eæ tres præcipuè sunt: 1. Est æstus Solis & calor, quo ventorum vapor consumitur. 2. Est frigus intensum, quo pori terræ clauduntur. 3. Imber, qui poros terræ replet, spiritum intus cōceptum includit, & exhalationem sursus ductam sine flatu deprimit.

Quæ sunt effecta ventorum? R. Venti sua ventilatione purgant aërem, sed non tam feliciter vt fulmina, quia interdum noxia ex vno Horizonte rapiunt in alterum: Cœli & terrarum temperiem custodiunt, aquas supprimunt, sata & arborum fructus alunt, nubes dissipant, & serenitatem efficiunt.

DE NVBIBVS.

Respondit

OLAVS PETRAEVS, IEMTLANDVS, Noruegus.

QVid est Nubes? R. Est vapor humidus, medij aëris frigore concretus & coactus. Arist: lib. 1. meteor. c. 9. Velcur. lib. 3. cap. 8. Lieb. lib. 1. cap 9. Freig. lib: 25. Seidel. lib. 2. cap. 8.

Cur nubes non fiunt in suprema aëris regione? R. Propter immensam caliditatem, quæ vapores consumit, neque ob puritatem ipsius fieri possunt.

Quomodo mouentur? Nubes huc illuc agitantur & feruntur, partim à calore Solis, partim à ventis.

Quot sunt colores nubium? Quatuor præcipui: Niger, ruber, viridis, & albus.

Bod. lib. 2. theat. Herm. Barb. lib. 4 Valeſ. de ſac: Phil. f. 261, 29.

Quando nubes ſunt nigro colore? R. Quando vapor eſt ſpiſſior, frigidus & terreſtris, ita vt Lux ſtellarum non bene tranſmittatur.

Quando albæ? R. Quando conſtant ex raris, ſubtilibus & tenuibus vaporibus, per quos ſtellarum lux ſeſe rectiùs inſinuare poteſt.

Quando rubræ ſunt? R. Quando conſtant ex vaporibus humidis, fumoſis, terreſtribus, & aduſtis, in quos radius incidens non tranſmittitur, ſed reflectitur, & reflexus demittitur, ſicque reduplicatus auget colorem, & fit ruber.

Quando virides? R. Quando nubes ſunt valde aquoſæ & roridæ, quæ jam incipiunt deſtillare, & lumen iniectum aqueo vapori efficit talem viriditatem.

Quare rubedo matutina prænunciat pluuiam & ventos? R. Quia illa nubes aquoſa ad nos trahitur per Solis radios, ita, ſi eſt rorulenta, à Sole in aquam conuertitur, ſi non eſt rorulenta, in materiam ventorum.

Quare rubedo veſpertina ſerenitatem prænunciat? R. Quia materia pluuiarum ex noſtro Horizonte radijs Solaribus in alium rapitur. 2. Quia ſi non abripitur: nocturna tamen frigiditate condenſatur.

Finis nubium eſt, vt nos, & omnia inferiora à nimio Solis ardore defendant. 2. vt in pluuias reſolutæ terram fœcundent.

DE PLVVIA.

Ariſt. lib. 1. c. 9. 10. Bod. lib. 2. Valeſ. de ſac. Phil.

QVid eſt pluuia? R. Eſt reſolutio nubis guttatim in terram deſtillantis.

Quot ſunt ſpecies? Duæ: Imber, & Nimbus. Imber dicitur, cùm tenuiores & pauciores guttulæ decidunt. Nimbus verò, quando maiores.

Quotuplex eſt Pluuia? R. Duplex: Naturalis & Prodigioſa. De naturali hactenus.

Quid est Prodigiosa? R. Est, quando cum pluuia decidunt vermes, ranæ, pisces; lac, pili. Item, pluisse lapidibus, carne, sanguine, ferro, apud Historicos legimus.

Quando pluit lapidibus? Quando vapores crasſi & terrestres intenſo Solis calore aduruntur.

Quando ferro pluit? Quando vapores metallici ſulphurei in aëre vehementiùs indurantur.

Quando lacte? Quando intenſiſſimus Solis calor attractum ex vberibus pecorum lac cum partibus nubium miſcet.

Vide Velcur. lib. 3. c. 5. Freig lib. 25. Seidel. lib. 2. Scribon. lib. 1. Phyſ. de meteoris.

Quando sanguine? Quando vapores ex ijs locis, vbi magnæ hominum ſtrages eduntur, extrahuntur. Deinde, quando ex locis metallicis rubricatis vapores educuntur. 3. Quando vaporem aqueum ita percoquit Solis calor, vt rubeſcat, ſicut lixiuium per cineres colatum rubeſcit.

Quando carnibus? Quando exhalationes ſanguineæ & cruentæ miſcentur cum vapore viſcoſo & terrestri.

Quando piscibus & ranis, vermibus, bufonibus, ſerpentibus pluit? Quando viſcoſa exhalatio & ſemen horum animalium ex lacubus, ſtagnis, & paludibus, calore & vi Solis, eleuatur, & ab eodem vitam & motum accipit, ſicut mures, ranæ, vermes in terræ puluere naſcuntur.

Súntne tales pluuiæ miraculoſæ? Non ſunt. Nam circumſtantiæ diſcernunt miraculoſas pluuias à prodigioſis, quia carnibus, ferro, lacte, vermibus, piſcibus non diu pluere, nec in multis locis, poteſt.

Quæ ſunt effecta pluuiarum? Irrigant & fœcundant terram: 2. aërem calidiſſimum refrigerant & temperant. 3. Piſces recreant. nulla enim re magis delectātur & impinguantur piſces, quàm pluuia.

DE NIVE.

Arift: lib. 1. cap. 11. Velcur. lib. 3. cap. 5. Bodin. lib. 2. theat. Lieb. lib. 1. meteor. c. 11. Valef. de fac. philof. f. 275.

Quid eſt Nix? Eſt vapor, frigiditate medij aëris molliter inſtar lanæ carminatæ, conglobatus & congelatus.

Quomodo fit nix? Quando nubes jam conatur reſolui in pluuias, tum eam nouum frigus ſuperueniens conſtringit in exiguas & planas particulas, quæ poſtea inſtar lanæ carminatæ depluunt.

Quare albicant niues? Quia nubes incœpit reſolui in guttas, quæ inſtar flocculi factæ frigore albeſcunt, quia ſubtiliores & leniores ſpiritus continent.

Quomodo differunt nix & pluuia? Materia & loco conueniunt, ſed forma differunt, quia nix fit ex intenſiore frigore, pluuia verò ex remiſſiore, quale æſtiuum.

Cur in altis montibus inueniuntur niues? Id propter caloris defectum contingit, qui niuem liquefaceret: vertices enim montium contigui ſunt medij aëris parti, quæ ſemper frigore riget. Deinde, quia montes frigidiores ſunt, quàm loca plana, tum propter ventos, tum propter mediæ regionis vicinitatem.

Freig: lib: 25. Plin: lib: 2. cap: 45.

Quæ ſunt effecta niuis? R. 1. Eſt, quòd terram fertilem reddit, iccirco ſi copioſa fuerit, eximiam frugum copiã fore, multi affirmant. 2. Manus lotæ niue firmiores redduntur. 3. Oues, & alia animantia nutrit, quia ex humido aëreo, in quo vita conſiſtit, generatur. 4. Segetes, & alia naſcentia auget, quia ſua frigiditate claudit poros terræ, ne calor, quo ſemina intus fouentur, exhalare poſſit. 5. Calefacit terram, quã tegit per antiperiſtaſin. 6. Aërem turbidum reddit clarum. 7. Viſum diſpergit, quia nimiùm albet.

DE GRANDINE.

Arift: lib: 1. meteor: c. 12.

QVid eſt Grando? R. Eſt pluuia, inter deſcendendum à medii aëris frigore grauiſſimè conſtricta.

Quo-

Quomodo fit Grando? R. Quando nubes in pluuias resolutæ sunt, & guttulæ delabi incipiunt, tum inter delabendum subitò à frigore intenso constringuntur. Vel: l. 3. cap. 5. Plin: l. 2. cap: 46. Seid: lib: 2. Vales: de Sacr. phil.

Quæ sunt effecta Grandinis? R. Grando vegetabilia, propter nimiam duritiem & frigiditatem, quæ plantis exitialis est, mortificat. 2. messem perdit sua duritie, quia calamos conquassat.

Grandinat autem potissimùm vere & autumno, hyeme aut nunquam, aut rarissimè.

DE PARELIO ET PARASELENA.

Respondit

IANVS GÆORGIVS STAFVANGRIVS,

QVid est Parelios? R. Est imago Solis in nube rorida & splendida, ad latus eius posita, ex radijs in vnum collectis & refractis producta. Arist: lib: 3. Meteor: c. 6. Vel: lib: 3. cap. 8. Bod: lib: 2. theat Nat: f. 215. Freig: lib. 25. phys. Seid: lib: 2. cap: 22.

Quid est Paraselena? R. Est imago lunæ in nube rorida, & splendida, ad latus eius posita, ex radijs in vnum collectis & refractis producta.

Quæ sunt effecta horum meteororum? R. Sunt cataclysmi alicuius partialis futuri ex humida materia redūdante prognostica. Theologis verò sunt portenta & prodigia, & sæpe incerta quid sibi velint, nisi quis ex euentu eorum coniecturam facere possit: Occulta effecta sunt, quòd regum & Principum dissensiones, interitum, bella, mutationes, & Monarcharum conspirationes prænuncient.

Conspiciuntur plerunq; idola Solis matutino aut vespertino tempore circa ortum & occasum.

DE HALONE.

Quid est Halo? Est circulus circa solem, lunam, aut alias Arist: lib: 3. Meteor: c. 2.

 stellas

Vel. lib. 3. cap. 8. Bod. lib. 2. theat. c. 20. Seid. lib. 2.

ſtellas apparens, factus ex refractione radiorum luminis in nube rara & vniformi, directè ſub aſtro conſiſtente.

Quæ ſunt effecta Halonis? R. Aratus, Halonem ventorum & tempeſtatum prognoſticon eſſe refert. 2. Halo circa lunam intenſum frigus ſignificat.

DE VIRGIS.

Ariſt. lib. 3. meteo. c. 6. Vel. lib. 3. cap. 8. Seid. lib. 2. cap. 23.

QVid ſunt Virgæ? R. Sunt lineæ diſcolores, quæ fiunt in nubibus ad latera ſolis.

Quæ ſunt effecta virgarum? Prædicunt jamjam imminere pluuias; nam humore pleniſſimæ ſunt nubis partes craſſiores.

DE IRIDE.

Ariſt. lib. 3. cap. 4. Plin. lib. 2.

QVid eſt Iris? Eſt arcus varicolor, in nube rorida & inæquali, è radiorum oppoſiti Solis reflexione formatus.

Iris duplex eſt: Solis, qui eſt frequentior: & Lunæ, qui eſt rarior, quòd in tenebris lateant colores.

Vel. lib. 3. cap. 8. Lieb. lib. 3. cap. 4. Freig. lib. 25. phyſ. Seid. lib. 2. cap. 21. Goel in ſuis diſp. phyſ. Bod. lib. 2. Valeſ. de Sacr. phil. Herm. Bar. lib. 4. c. 26. vide diſput. Geſneri de Iride.

Quò Sol propinquior horizonti fuerit, eò maior eſt iris: ſi verò plures irides fuerint, poſteriores è reſplendentia prioris fiunt, ideoque ſunt obſcuriores.

Fuitne iris ante diluuium? Maximè. Nam vbi materia & efficiens cauſſæ, præſertim naturaliter agentes, ibi neceſſariò ſequitur effectus: Sol enim & Luna ante diluuium fuerunt, radij Solis & Lunæ, item nubes rorida & aquoſa fuit: ſequitur ergo iridem fuiſſe. 2. Sicut ante Paſcha agni fuerunt, ante baptiſmũ aqua; ante cœnam Domini panis & vinum, ita quoq; ante diluuium fuit iris.

Quot ſunt colores iridis? Etſi certus numerus colorum dari nequit, tamen principales numerantur quatuor: Puniceus, viridis, cœruleus, & igneus.

Theo-

Theologi duos ſaltem numerant: Cœruleum ſeu aqueum, & purpureum ſiue igneum. Cœruleus indicat interitum mundi, per diluuium factum. Purpureus verò interitum mundi finalem per ignem futurum exprimit.

Quis eſt finis iridis? R. Duplex: Phyſicus & Theologicus. Phyſicus eſt, quòd aliquando pluuiam impendentem portendit; aliquando verò ſerenitatis ſignum eſt, præſertim ſi ante meridiem viſa fuerit, & candidior apparuerit.

Theologicus finis eſt, vt ſit ſignum fœderis inter Deum & homines, quòd Deus hunc mundum ampliùs non ſit perditurus diluuio vniuerſali, vt tempore Nohæ factum eſt. Gen. 9. cap.

DE METEORIS INFIMI AERIS.

PRIMVM DE IGNE FATVO.

Reſpondit

IOHANNES HOIERVS, Hafnienſis.

Q*Vid eſt ignis fatuus?* R. Eſt exhalatio infimi aëris varia, vagabunda, craſſa, vnctuoſa, & inflammabilis, cum frigiditate aëris nocturni, vel venti, tum motu condenſata, & accenſa. Velcur. lib. 3. cap. 4. Seidel. lib. 2. cap. 3.

Vbi ignis fatuus crebriùs apparet? R. In locis & regionibus calidis. Nam de locis paludinoſis, vel de terra viſcoſa eleuatur exhalatio ſpiſſa, & pinguis, citò inflammabilis, & ſecundum caliditatis proportionem plus aut minus aſcēdit. Freig lib. 25. Phyſ. Scribon. lib. 1. Phyſ.

Qui fit, quòd homines ſeducat? R. Hoc eò fit, quia viatores ad lumen illud intendentes, nec propoſitum iter obſeruantes, ſæpe errant, & in aquas, foueas, atque præcipitia cadunt, exiſtimantes, ſe à diabolo ſeductos eſſe.

Cur sequitur & fugit viatores? R. Hoc propter motum aëris ex ambulatione fit: ita quantò velociùs currũt; tantò & velociùs ipsa fugit: Sin verò illi fugiunt, insequitur, nam aër motus ipsam impellit. Adhæret sæpissimè corporibus viatorum, jubis Equorum, & malis nauium, quia ex corporibus laborantium viscosi sudores exhalant, quæ motu inflammantur.

Quomodo diuiditur? R. Ignis fatuus aut est solitarius, aut geminus.

Quid est solitarius? R. Quando fumus vnctuosus est densus & constipatus, & dicitur Helena; judicatúrque exitialis, sicut Helena olim toti Græciæ exitio fuit, quòd materia adhuc valde sit crassa & coacta, & nondum incipiat resolui.

Quid est geminus? R. Quando fumus est rarus, tenuior, & in partes dispersus, & dicitur Castor & Pollux, judicatúrque felix, quòd materia incœperit consumi & resolui in ventos, qui ad nauigationem sunt vtiles.

Quæ sunt effecta eius? R. Purgant aërem consumtis noxijs exhalationibus. Deinde tempestatem frangi, & ventos sedari significant. Per accidens viatores seducunt, propter vagum suum motum, & nimium hominis metum.

DE NEBVLA.

Arist: lib. 1. cap. 9.

Q*Vid est Nebula?* R. Est vapor subcalidus, qui à frigiditate condensatus, per infimum aërem dispergitur.

Quando generantur? R. Nebulæ, nec æstate, nec maximo frigore generantur, sed intermedio tempore, & plerunq; circa noctis extrema, vbi plurimi vapores ex terra & reliquis inferioribus ascendere possunt: interdum bene olent, interdum malè, quia sæpe malè confunduntur humidi vapores cum siccis exhalationibus.

Quid

Quid denique notandum de Nebula? R. Hoc. Si nebula tota sursum ascenderit, pluuiã designat. Si verò descenderit, serenitatem portendit.

DE RORE.

Respondit

IOHANNES MICHAELIVS, Iunior, Danus.

QVid est Ros? R. Est vapor tenuis, vi astrorum collectus, quem serenitas noctis in terrã & plantas dispergit.

Quomodo differt à Pruina? R. Ros citiùs, imò mox, resoluitur in aquam. Pruina verò congelascens, perdurat diutiùs.

Quomodo differt à pluuia? R. 1. Paucitate materiæ, quia materia roris est modica & subtilis, sed materia pluuiæ est multa & grossa. 2. Loco, quia ros generatur in infima aëris regione, pluuia in media. 3. Tempore, quia ros fit solùm tempore sereno & tranquillo. Pluuia verò turbulento & ventoso.

Arist: lib: 1. meteor: c. 10. Vel: lib: 3. cap: 5. Freig: lib: 25. phys. Lieb: lib. 1. meteor. c. 10. Bodin. lib. 2. theatri Scribon. lib. 2. phys. Seid. lib. 2. cap. 10.

Quotuplex est Ros? R. Duplex: Salutaris & noxius.

Salutaris est, qui non nimiùm est frigidus, nec nimiùm dulcis, aut amarus; omnibus ex terra nascentibus prodest.

Noxius est, qui vel nimis dulcis, vel nimis amarus, vel nimis frigidus.

Quando dulcis est? R. Quando humiditas bene excoquitur.

Quando amarus est? R. Quando siccitas magna ex parte absumitur.

Quando generatur? R. Potissimùm tempore Veris aut Autumni, vbi calor est moderatus, & frigus temperatum.

In æstate non fit, quia nimio æstu absumitur vapor, nec in hyeme, quia tum nimio frigore clauduntur pori terræ.

Quæ sunt effecta roris? R. 1. Gratissimum liquorem communicat rebus nascentibus. 2. Præbet apibus materiam generationis. 3. Est materia vnionum & margaritarum. 4. Herbas & oues perdit propter viscositatem metallarem coniunctam. 5. Ros ipso imbre efficacior est in fœcundandis frugibus, & humectandis sitientibus herbis; gramina irrorata læta præbent pascua.

DE MANNA.

Respondit

NICOLAVS ERICIVS, Danus.

Velcur. lib: 3: cap. 5. Vales: de sac. phil. f. 324:

QVid est Manna? R. Est vapor viscosior & pinguior, ex herbis & arborum folijs, melli liquido similis, collectus, & frigore infimi aeris coagulatus.

Quotuplex est Manna? R. Duplex: Diuiditur enim secundum formam externam, & secundum locum.

Quomodo secundum formam? R. Alia dicitur granata, quæ constat granulis minoribus; Alia masttichina, quæ constat granis maioribus.

Quomodo secundum loca? R. Alia est Cyriaca, alia Calabrica, alia Germanica. In his enim tribus locis præsertim reperitur.

Quomodo nostra Manna differt à Iudæorum? R. Quatuor modis: Tempore, duratione, vsu, & materia. Tempore, quia nostra manna certis anni temporibus fit: Iudaica durabat per annos 40 continuos. 2. Nostra in aliquot

annos

annos reponitur: Iudaica vltra diem seruari non potuit. 3. Nostra loco medicamenti & nutrimenti vsurpatur, sed Iudaica tantùm nutrimenti loco. 4. Nostra fit ex fumis condensatis: Iudaica diuinitùs ex nihilo creabatur.

Quæ sunt effecta Mannæ? 1. R. Educit bilem flauam, 2. Mitigat ardores febrium 3. Sitim restinguit. 4. Aluum molliorem efficit. 5. Tussim sedat & famem.

DE PRVINA.

Quid est pruina? R. Est vapor roridus, debili Solis calore vsque ad infimam aëris regionem eleuatus, in qua adueniente noctis frigore congelatur, & descendens herbis adhæret. Arist: lib. 1. meteor. c. 9. Velcur. lib. 3. cap. 8. Freig. lib. 25. Bod. lib. 2. theat.

Quæ sunt effecta Pruinæ? R. Vineis nocet suâ frigiditate. 2. Mediocris pruina prodest jam frugibus maturescentibus. 3. Serenitatis signum est, quia materia à Solis ardore dispescitur.

DE IIS, QVÆ IN TERRÆ visceribus fiunt:

ET PRIMVM DE TERRÆMOTV.

Respondit

IANVS GÆORGIVS STAFVANGRIVS, Noruegus.

QVid est terræmotus? R. Est exhalatio calida & sicca, terræ visceribus inclusa, calore Solis & astrorum excitata, quæ aucta quærit & parat suo motu exitum cum concussione & apertione telluris. Arist: lib. 2. meteor. c. 7. 8

Aliter sic definitur? R. Est concussio terræ, facta ab exhalatione interclusa, quæ maximè excitata est potentia Iouis, Martis & Saturni.

Quare

Vide Plinium de terræmotu.

Quare horum Planetarum potentia? R. Quia hæc ſydera multum vaporis excitant, qui propter leuitatem ſurſum tendit, nec tamen propter occluſos meatus è terræ cauitatibus egredi poteſt.

Lib. 2. met. cap. 8. Vide Senecam.

Quot ſunt ſpecies terræmotus? R. Ariſtoteles duas facit ſpecies, quarum vnam tremori, alteram pulſui ſimilem eſſe dicit. Tremor eſt, cùm terra in ſeipſa vibratur. Pulſus verò, quando terra velut intumeſcens aſſurgit, & vi ventorum attollitur, vt hinc inde ædificia nutent, eleuatáque denuò ſubſidant. Seneca ſuccuſſionem vocat.

Quot ſpecies ſtatuit Plinius? R. Quatuor: Ruinam ſeu caſum, hiatum, tremorem, & egeſtionem ſeu tumorem.

Ruina eſt, quando ex terræ agitatione & tremore ædes, mœnia, & turres decidunt. Fit, cùm copioſus ſpiritus magna vi vni loco incumbit, quem etiã euertit, niſi ex altera parte motus celeriter occurrat, qui inclinata reſtituat.

Talis tremor terræ VVitebergæ hor. 5. & 6. matutinis, die Decemb. 16. Anni 98. factus eſt.

Quid eſt hiatus? R. Quando terra dehiſcit, & profunda vorago apparet, magno ventorum agmine prorumpente, hauſtis mœnibus & ædificijs.

Quid eſt tremor? Quando terra intumeſcens aſſurgit, & attollitur vi ventorum, vt hinc inde nutent ædificia.

Quid eſt egeſtio? R. Quando magna moles inſtar montis extra terram egeritur, aut quando flumina aut ignes erumpunt.

Quamdiu durare poteſt? Ariſtoteles per totum biennium durare poſſe exiſtimauit: Quò enim ſpiritus terræ incluſi craſſiores fuerint, eò diutiùs durat, quò verò rariores & tenuiores, eò citiùs deſinit.

Quando fieri ſolent? Plerunq; circa dies æquinoctiales in Vere & Autũno, vbi calor Solis non eſt nimis intenſus, ne conſumat flatus. Deinde tempore Eclipſiũ Lunarium

vel Solarium crebrò solent fieri. 3. Sæpiùs noctu quàm interdiu, quia calor diurnus materiam dissoluit, frigus verò nocturnum eam constringit.

Quæ sunt effecta eius? R. Est vindicta Dei, qua peccata punit mortalium, atque futura mala prænunciat. 2. Destruit, absorbet ædificia, vrbes & insulas. 3. Cursus fluminum aliò conuertit. 4. Montes & colles excitat. 5. Terras continuas diuellit, & regiones diuidit.

II. DE FONTIBVS.

Respondit

IOHANNES HOIERVS, Hafniensis.

QVid est fons? R. Est vapor, vel aër in terræ meatibus condensatus, & in aquam conuersus.

Quotuplices sunt fontes? R. Duplices: Temporarij & perennes. Temporarij sunt, qui aliquando abscinduntur, & aliquando vigent. Perennes verò, qui perpetuò vigent, & nunquam abscinduntur, propter vaporis copiam, & locum profundum, ex quo scatent.

Quot sunt species fontium? R. Quatuor: Flumen, riuus, torrens, & stagnum seu palus.

Quid est Flumen? R. Est aqua multa & perennis, in vnum alueum ex multis fontibus & riuis collecta, & in mare se exonerans.

Quid riuus? R. Est fluuius perennis, natura & arte collectus.

Quid est torrens? Est fluentum non perenne, quod exsiccari solet; niuibus aut imbribus augetur.

Quid est stagnum? Est aqua collecta in longum latúmque

que alueum, qui habet aut suas scaturigines, aut riuos, aut flumina, per quæ aquam rursum emittit.

Quare ex montibus amnes fluunt? Quia montes intrinsecus terram porosam habent, ad summum jugum cauernis penetralibus abundantem, in quas cùm leuis aër descendere nolit, vice eius aqua ascendere cogitur, ne vacuum admittatur.

Quid sacræ literæ de origine aquarum asseuerant? R. Sacræ literæ cum physicis de ortu fontium & fluminũ non consentiunt. Nam Ecclesiast: testatur, fontes & flumina per varios alueos & meatus ex mari fluere. Ecclef. c. I.

Quid sunt Thermæ? R. Sunt fontes, & riui, excellenter calidi, ex sulphureis & aluminosis terræ venis scaturientes & emanantes, vnde suum calorẽ, saporem, colorem, & virtutes quoque mirabiles sortiuntur, quibus corporibus, pro eorum complexione, vel prosunt, vel obsunt. Quales sunt thermæ Carolinæ in Bohemia.

DE MARI, EIVSQVE SALSEDINE & æstu.

Respondit

IOHANNES MICHAELIUS, Iunior, Danus.

Arift. lib. 2. meteor: c. I. QVid est Mare? R. Est omnium aquarum receptaculum, ipsum non fluxile, sed intra suum alueum se continens.

Vel. l. 3: cap: 7. Seid. lib. 2. cap 9. Bod. in suo theat. lib. 2. Arist: lib. 2. meteor. c. 3. *Generaturne & corrumpitur mare, vt & fontes?* R. Mare secundum se totum non generatur, nec corrumpitur, sicut aliæ aquæ, cùm sit Elementum, & quidem pars integralis totius vniuersi: Sed secundum partes accidunt in eo generationes, & corruptiones, vt in alijs rebus inferioris naturæ.

Quæ

Quæ est caussa salsedinis maris? R. Aristoteles calorem Solis, qui exhalationes adustas cum aqua maris permiscet, amarúmque saporem efficit, caussam efficientem statuit. Cùm igitur Sol suo calore, quicquid in mari est dulcis aquæ, & ob id leuioris, extenuet in vaporem, quod autem crassum & adustum est, relinquat; fit, vt mare semper salsum existat.

Quomodo hoc probatur? R. Quia æstate salsius est mare, quàm hyeme. Deinde, quia mare versus austrum, salsius est Septentrionali, quia itineri Solis propiùs est. 3. Quòd vrinatores in profundo maris aquas esse dulces perhibeant.

Quidam verò putant, naturalem esse amaritudinem mari insitam, ne putrescat.

Cur aqua marina crassa est? R. Vt sua crassitie & densitate meliùs onustas naues ferat, quas dulcia & subtilia flumina ferre nequeunt.

Cur flumina non amarescunt? R. Quia fluminum aqua nunquam quiescit, sed subinde in alium locum prolabitur, ita, vt Sol in eam tam fortiter agere non posit, vt in mare, quod in suo loco manet.

Cur stagna, super quæ Sol diu hæret, non amarescunt? R. Quia aquæ stagnales continuè euaporant, & per scaturigines aquarum dulcium restaurantur & continuantur.

Cur maria vomitiones excitant? R. Hoc partim ipsa salsedo agit, ipsa enim humores in corpore agitat, & superfluos reijcit & expellit; partim fit ex crebra illa & vehementi jactatione.

Quæ est caussa efficiens fluxus & refluxus maris? R. Potissima est Luna cum suo motu. Nam oriente Luna, mare flue-

Harm: Barb: lib. 4. c.22. Freig. lib.21. Bod. theat. lib: 2. Seidel. lib.2. cap 9. & alios. Valesium de sacr. Phil.

re incipit vsque ad circulum meridianum; Deinde Luna prætereunte meridianum, refluit.

Cur Luna aquas mouet? R. Quia Luna cum humido Elemento magnam cognationem habet. Deinde, quia est terris proxima.

Quæ est caussa finalis? R. Iste motus purgat aquas, sicut venti salubres aërem ventilant ac purgant, ne corrumpatur.

Et tantum de Meteoris: Pleniorem explicationem beneuolus Lector ex Aristotele & eius interpretibus petat.

Succinctæ & scitu dignæ Quæstiones

DE PARTIBVS HOMINIS:

Ex Clariß: viri, Dn. Philippi Melanchthonis libello de Anima:

collectæ à

CAROLO GÆORGIO BANGIO, Dano.

QVid est homo? R. Est creatura Dei, constans corpore & anima rationali, ad imaginem Dei cum libera voluntate condita, præseśq; creaturarum inferiorum constituta, vt Deum in societate agnoscat & celebret.

Quibus partibus constat homo? R. Corpore & Anima.

Quibus partibus constat corpus? R. Tribus: Membris, humoribus, & spiritibus.

Quotuplicia sunt membra? R. Duplicia: Similaria, & dissimilaria. *Similaria* seu ὁμογενῆ μόρια sunt partes simplices,

ces, quæ eandem naturam & appellationem cum toto habent: Vt os, caro, neruus, vena, arteria, musculus.

Quæ sunt dißimilaria? R. Sunt partes instrumentariæ, ex simplicibus compositæ: vt caput, brachium, manus, pes, *sic dictæ*: quia ex ossibus, carne, venis, arterijs, musculis componuntur.

Quæ est secunda membrorum diuisio? R. Alia sunt principalia corporis membra, ut cerebrum, cor, epar, pulmo, sic dicta: quia vniuersum corpus regunt. Nam cerebrum animalem facultatem, cor vitalem, epar naturalem cæteris membris suppeditat.

Alia sunt minùs principalia seu ministrantia: Vt nerui, venæ, arteriæ, vasa seminaria, quòd reliquarum partium quasi famuli sunt.

Quomodo diuiduntur membra dißimilaria? R. In tres cauitates seu ventres: Supremum, medium, & infimum.

Caput II. De supremo ventre.

Q*Vot sunt supremi ventris organa præcipua?* R. Quinque: Cerebrum, Meninges, oculi, aures, & nares.

Quid est cerebrum? R. Est sedes & organum sensuum interiorum, domicilium sapientiæ, & mirandarum actionum officina.

Quot sunt ventriculi cerebri? R. Quatuor: Duo enim sunt in anteriore cerebri parte, qui sunt organa sensus communis; alius dexter, à dextra parte: alius sinister, à cerebri sinistra parte. In his enim spiritus animalis præparatur. Medius, qui est priorum ventriculorum cauitas, dicitur organon imaginationis seu phantasiæ. Postremus in postica cerebri parte animalem spiritū cerebello & medullæ spinali præbet, estq; memoriæ & recordationis organon.

Quid præterea obseruandum? R. Adhuc quinque in cere-

bro occurrunt: Primò glans in tertio cerebri ventriculo, quæ est pars cerebri, figuram habens nucis pineæ seu glandis, wie ein zirbelnuß.

2. Nates cerebri διδυμοι testes, vel glutia, est pars cerebri, natium seu clunium effigiem exprimens.

3. Vermis ἐπίφυσις excrescentia vermicularis, pars cerebri similis vermi, pars cerebelli prominentior.

4. Infundibulum χοάνη, pars cerebri, à figura & vsu sic dicta, quòd per eam cerebri pituita vel superfluitas in glandulam illabatur, vnde tandem in nares & palatum destillat, & foràs eijcitur.

5. Plexus χοροειδὴς, est contextus venarum & arteriarum in cerebro, inuolucro fœtus similis.

Quomodo cerebrum perficit suas actiones? R. Cerebrum ad perficiendas suas actiones vtitur spiritibus animalibus, qui in his ventriculis, ex spiritibus vitalibus per arterias ascendentibus, generantur, quibus etiam læsis & turbatis, ipsa memoria & ratio læduntur & turbantur, vt in furentibus & Epilepticis videre est.

Quid sunt spiritus animales? R. Spiritus animales nõ sunt ipsa hominis anima, sed proxima animæ instrumenta, quibus ratiocinamur, recordamur, aliáque rationis munera exequimur.

Quid sunt Meninges? R. Sunt membranulæ tenuissimæ, quæ cerebrum ambiunt. Et vulgò pia & dura Mater dicuntur, quia vt Mater infantem, ita hæc cerebrum amplectũtur & fouent.

Quid est pia mater? R. Est membranula tenuissima, cerebrum proximè ambiens, tanquam inuolucrum, quâ læsa spiritus animales exhalant, & cerebrum amplius suo loco non continetur, ideo omnino eius læsio lethalis est.

Quid

Quid est dura mater? R. Est exterior & crassior membrana, proxima cranio.

Quale est temperamentum cerebri? R. Est frigidum & humidum; frigidum oportet esse, ne sacra Palladis Arx, & rationis domicilium, cogitationum igniculis accendatur, ac motus furibundi oriantur.

Quid sunt oculi? R. Sunt partes capitis Sphæricæ, penes cerebrum collocatæ, visui inseruientes.

Quid in oculis considerandum? R. Duo: Primò tunicæ septem: Alba, cornea, dura, vuea, retiformis, ciliaris siue βλεφαροειδὴς, & aranea, quarum vsus est, oculum munire, & humores comprehendere.

Deinde humores tres: Crystallinus, vitreus, aqueus. in Crystallino fit visus beneficio spirituũ visiuorũ & neruorũ.

Quid sunt aures? R. Sunt partes capitis Cartilagineæ, externè auriculis ornatæ, internè anfractibus excauatæ, auditui inseruientes.

Quid in auribus obseruandum? R. Duo ossicula, quorum vnum incudi, alterum malleolo simile; Incudis os membrana obducitur, & ei chorda stapedis instar obtenditur, vt in tympanis.

Quid est Nasus? R. Est pars capitis, olfactui inseruiens.

Quis est vsus nasi? R. Primò seruit respirationi: deinde vocis formationi: tertiò attrahit odores bonos, qui juuãt cerebrum, fouent & augent vitales spiritus, & auersatur malos: quartò excipit mucũ seu superfluitatem cerebri.

Caput III. De medio ventre.

Quid est pectus? Est pars corporis, à collo usq; ad septum transuersum. Thorax verò est anterior pars pectoris, à collo ad ilia vsque, quæ costis circumdatur. Sternion est media pectoris pars, sub quo cor est situm.

Quid in pectore seu medio ventre considerandum? Sex organa: Dia-

Diaphragma, Mediaſtinus, Pleura, cor, pulmo, arteria trachea cum lingua.

Quid eſt Diaphragma? Diaphragma, quod & ſeptū tranſuerſum dicitur, eſt veluti paries, infimum ventrem, in quo ſunt nutritionum organa, Epar & ventriculus nempe, à medio, in quo cor & pulmo ſunt, diſtinguens, & motu ſuo voluntario reſpirationi & excrementorum eiectioni inſeruiens.

Quid notandum de diaphragmate? R. Sciendum eſt, Diaphragma vnum & continuum muſculum eſſe; idcirco ad eius motum thorax quoq; mouetur, & cùm contrahit ſe diaphragma, pectus ſuperius dilatatur, & excrementa inteſtinorum expelluntur: Cùm verò dilatatur, pectus contrahitur.

Quid eſt Mediaſtinus? R. Eſt panniculus geminus, pulmonem in duas partes diuidens, vnde non pulmo, ſed pulmones dicuntur: inter hos panniculos Diaphragmatis & Mediaſtini eſt capſula cordis & ipſum cor.

Quid eſt Pleura? R. Eſt membrana ſimilaris, tenuis, & neruea, quicquid in pectore continetur complexa, & vertebrarum corpori adhærens, ſub coſtis labitur, & diaphragma ſupernè inueſtit.

Quid notandum de Pleura? Quòd non ſimplex, ſed duplex membrana ſit: Interior acutiſſimum tangendi ſenſum habet: Exterior verò coſtis adhærens, ſenſus expers. Inter has membranas variæ & multiplices venæ & arteriæ diſparſæ ſunt ad alendum, & calorem fouendum.

Quid eſt capſula cordis? R. Eſt membrana ſeu inuolucrum, cor tanquam arca cingens & cooperiens.

Qui ſunt eius vſus? R. Primò, vt cor ſuo loco contineat, ne ab alijs membris opprimatur. Deinde, vt madore ſuo tem-

temperet seu refrigeret cor, ne suo motu assiduo torrefiat.

Quid est Cor? R. Est fons vitæ & officina spirituum vitalium, primum viuens & vltimum moriens.

Quot sunt consideranda in corde? R. Quinque præcipuè: Situs, figura, ventriculi, vasa, & motus.

Qualis est situs cordis? R. Cor est in medio pectore situm, ita tamen, vt mucro nonnihil ad sinistrum latus erigatur.

Quæ est figura? R. Est pyramidalis.

Quotuplices sunt ventriculi? R. Duplices: Dexter dicitur κοιλία αἱματική, quia sanguinem ex epate per venam cauam excipit, & præparat. Sinister dicitur κοιλία πνευματική, quia in eo spiritus vitales ex subtilissimo sanguine gignuntur.

Quot sunt vasa cordis? R. Duplicia sunt; duæ venæ in dextro ventriculo cordis, & duæ arteriæ in sinistro.

Quomodo appellantur duæ venæ in dextro ventriculo cordis? R. Vna vocatur vena caua, quæ ex epate affert cordi sanguinem: Altera vena arteriosa, quæ vehit sanguinem ex corde in pulmones.

Quomodo vocantur arteriæ in sinistro cordis ventriculo? R. Vna vocatur arteria aorta, id est, maxima, quæ ex corde spiritum vitalem in vniuersum corpus distribuit: Altera arteria venosa, quæ materiam spirituum, aërem scilicet, ex pulmonibus in cor vehit.

Quotuplex est motus cordis? R. Duplex: Pulsus, qui est motus cordis naturalis, quo cor aërem frigidum attrahit, & fuligines expellit, ne calor naturalis suffocetur: Et affectus, qui dicitur motus cordis accidentalis, sequens cogitationem, & ea excitatur, quò cor aut fugit, aut sequitur obiecta.

Quid est pulmo? R. Est respirationis & vocis organum, constans ex carne aërea, spongiosa, rara; vngulæ bouis similis.

Qualis est motus cordis? R. Accidentarius & continuus, seruiens respirationi & voci: Et vocatur dilatatio, & constrictio. Haurit enim assiduè aërem, eúmque præparatũ ad cor transmittit, ad temperandos spiritus vitales, & vicissim fumos ex corde per os euehit.

Quis est vsus pulmonis? R. Primò est ventilabrum cordis, quo cor refrigeratur. 2. Seruit inspirationi & exspirationi, quia quando dilatatur pulmo, tunc recipitur aër, quando verò comprimitur, emittitur aër. 3. Inseruit formationi vocis. 4. Euehit fuligines ex corde.

Quid est arteria trachea? Est canalis oblongus, similis fistulæ, à faucibus rectà descendens in pulmones, cuius orificium dicitur nodus gutturis.

Quid est lingua? Est caro musculosa, ex vndecim musculis constructa, cuius caro plena est neruorum, venarum & arteriarum.

Quare neruis abundat? Quia exquisitissimus in eo est tangendi & gustandi sensus, qui sine neruis esse non potest.

Caput V.

DE INFIMO VENTRE.

Q*Vot sunt præcipua organa infimi ventris?* Tredecim: Ventriculus, omentum, peritonæum, intestina, mesenterion, epar, vena caua, vena portæ, vesica fellis, splen, renes, vesica vrinaria, & vreteres.

Quid est ventriculus? Est membrum primarium nutritionis, constans substantia villosa, à qua cibus alteratur & concoquitur.

Vbi situs est ventriculus? Sub diaphragmate inter Epar & splenem, & ei inseritur Oesophagus.

Quid est Oesophagus? Est canalis, vehens cibũ ab ore in ventriculum.

Quot habet orificia ventriculus? Duo: Vnum superius, quo cibum & potum accipit, & nominatur καρδία, ob vicinitatem cordis: Alterum inferius, quo chylum ad Epar, & superfluitates ad intestina transmittit, & dicitur πύλωρος, vergitq; ad dextrum latus.

Quot constat fibris? Triplicibus: Rectis, qui attrahunt cibum: Transuersis, qui expellunt: & Obliquis, qui retinent.

Quale est temperamentum ventriculi? Frigidum & siccum, non tamen absolutè frigidum, aliàs alimenta concoquere nequit, sed respectiuè; idque respectu calidorum viscerum, epatis & cordis.

Quare

Quare eius temperamentum est tale? R. Quia talis est natura partium neruosarum, qua præditus est, primò vt rebus conuenientibus delectetur. Deinde, vt appetitus magis moueatur.

Vbi est sensus appetitionis? R. In orificio ventriculi, in quo plurimi nerui à cerebro demissi concurrunt & intexuntur.

Quid est omentum? R. Græcis ἐπίπλοον, est panniculus pinguis, tegens intestina instar reticuli, & innatum ventriculi calorem cõseruans, addita panchrea.

Quid est Panchreas? R. Est caro glandulosa, explens omnia loca vacua inter ventriculum, epar, & splenem.

Quid est Peritonæum? R. Est panniculus, tegens omnia membra inferioris ventris, vt ventriculum, intestina, omentum, epar, splenem, renes.

Quid sunt intestina? R. Græcis ἔντερα sunt canales caui, corpore panniculari, vno eodemq; modo continui, à pyloro vsque ad anũ conuoluti & tortuosi.

Quotuplicia sunt? R. Duplicia: Gracilia & crassa.

Quot sunt Gracilia? R. Tria: Duodenum, duodecim digitos longum, incipit à ventriculo, & rectà ascendit eò vsque, vbi intestina in orbem & anfractum conuolui incipiunt. Ieiunum, quod reliquis aliquantò est inanius, propter celeriorem chyli transitum, & incipit, vbi gyri deprehenduntur. Ileos, quod & λέπτον dicitur, quòd cæteris gracilius sit, multos habet gyros & anfractus; sub vmbilico situm est.

Quot sunt crassa? R. Sunt etiam tria, quæ statim gracilibus junguntur. 1. Est Cœcum; sic dicitur, quia vnicum tantùm os habet; vocatur etiam monoculon. Huius officium est, primò excrementa alui excipere, quæ priùs dicuntur chylus, non excrementa.
2. Colon, à κολάζεσθαι, i. e. torquere, quia miris modis torquetur; In hoc generantur dolores, qui dicuntur Colici, quando scilicet spiritu crasso aut pituita obstruitur.
3. Rectum, quod ab osse sacro rectà sine gyris in anum vsq; fertur.

Quid est Mesenterium? Est panniculus intestinis implicitus, qui

est fulcrum venarum mesaraicarum, per quas, tanquam manum, epar chylum ex ventriculo & intestinis accipit.

Quid est epar? R. Est præcipuum nutritiuæ potentiæ organum, & officina sanguinis, per cuius corpus venulæ plurimæ tenuissimæ sparsæ sunt, quæ partim in venam portæ, partim in venam cauam coëunt.

Quid est vena porta? R. Est inferior meatus, per quem, tanquã per portam vel ostium, chylus à ventriculo in epar inuehitur.

Quid est vena caua? R. Est superior meatus, per quem sanguis, in epate elaboratus, ad totum corpus,& præcipuè ad cor, euehitur.

Quot sunt consideranda in epate? R. Sex: Situs, materia, forma, ventriculi, temperamentum, & vsus.

Vbi situm est? R. In dextro latere seu hypocondrio, sub diaphragmate, juxta ventriculum.

Quæ est materia eius? Constat ex carne rubea, quæ coagulato sanguini similis est.

Quam habet formam? R. Formam semicirculi, vel Lunæ, cùm noua à coniunctione prodit.

Quot sunt ventriculi seu vasa? R. Duo: Vena caua, & Portæ.

Quale temperamentum? R. Calidum & humidum, conueniens elixationi, & ipsius sanguinis præparationi.

Quis est vsus? R. Est conuertere chylum, à ventriculo acceptum, in sanguinem, qui postea in corpus totum ad nutriendum illud per venam cauam spargitur.

Quid est vesica fellis? R. Est folliculus in medio epate, pyro longiusculo similis, qui bilem flauam seu fel excipit.

Quid est Splen? R. Est receptaculum crassi & fœculenti sanguinis in jecore confecti, qui dicitur bilis atra seu melancholia, quem sanguinem in ventriculi fundum & in intestina infundit.

Vbi situs est? R. In sinistro hypocondrio ad ventriculum sub diaphragmate, ita vt caua parte ventriculum amplectatur.

Quid sunt renes? R. Sunt membra euehentia, quæ aquosam superflui-

perfluitatem, ſero ſimilem, ex vena caua deſtillantem, excipiunt & attrahunt.

Quot ſunt renes? R. Duo: Dexter & ſiniſter. Dexter in dextro latere ſub epate eſt ſitus, eſtq; elatior ſiniſtro. Siniſter in ſiniſtro latere ſub Splene eſt ſitus, atque humilior eſt.

Quid eſt veſica vrinaria? R. Eſt receptaculum vrinæ deſtillantis ex renibus per vreteres.

Quid ſunt vreteres? R. Sunt meatus vrinarij ſiue canales, per quos vrina in veſicam defluit.

Caput VI. De membris ſimilaribus.

QVot numerantur membra ſimilaria? R. Decem: Caro, os, cartilago, neruus, ligamentum, chorda, vena, arteria, panniculus, muſculus, fibra.

Quid eſt caro? R. Eſt corpus ſolidum & molle, ex craſſiore ſanguinis parte ortum.

Quid eſt Os? Eſt corpus ſolidum & durum, ex ſemine generatum, vt ſit truncus & fulcrum totius corporis.

Quot numerantur oſſa in corpore humano? Trecenta nouem; videlicet 70 in capite; 65 in trunco: 84 in brachijs, 90 in pedibus. Vniuerſa oſſium compages dicitur σκέλετορ. N. 309 oſſa

Quot ſunt coſtæ in homine? Duodecim in quolibet latere: Septem ſuperiores dicũtur veræ coſtæ, γνάσιω. Quinq; inferiores dicuntur nothæ vel mendoſæ, ſpuriæ coſtæ, quia ſunt cartilagineæ. Inferiores breuiores & molliores ſunt, ne ventriculus comprimatur.

Quot ſunt dentes in homine? R. 32. Sedecim in vtraque maxilla, & vna quidem ſerie. Quatuor priores dicuntur inciſores, τομεῖς, quòd cibum concidunt inſtar cultri. Item γελάσινοι, quòd in ridendo reteguntur. Sequentes duo vtrinque canini vocantur à ſimilitudine, κυνόδοντες. Tertio loco ſunt ab vtroque quini γόμφιοι maxillares ſeu molares, quòd cibum inſtar molæ comminuant. Vltimo loco ſunt ὀψίγονοι ſerotini, quòd ſerò naſcuntur, nempe ætatis anno viceſimo, vel interdum octogeſimo, ex quo σωφρονιστῆρες appellantur, h. e. dentes ſapientiæ.

Reliquorum ossium nomina, situm, & explicationem omisimus, quæ vel à Dn. Philippi Melanchthonis libello de Anima, vel ab alijs peti possunt.

Quid est cartilago? R. Est pars corporis similaris, durior carne, & mollior osse. Vsus eius est, vt prohibeat, ne ossa perpetuo motu atterantur, & duriùs inter se collidantur.

Quid est neruus? R. Est instrumentum sensus & motus, omni prorsus cauitate carens, ortũ habens à cerebro & spinali medulla.

Quot paria neruorum oriuntur à cerebro? R. Septem: Primum par spargitur in oculos, & vim visiuam ijs affert, vnde nerui optici vocantur. Secundum par etiam in oculos & faciem spargitur, & præbet oculis motum mouendi, similiter faciei. Tertium par spargitur in linguam & palatum, vt vim gustandi tribuat. Quartum par spargitur ad radices dentium. Quintum ad aures, vnde nerui auditorij dicuntur. Sextum in fauces, in organa thoracis & infimi ventris spargitur. Septimum par in radicem linguæ spargitur, & ipsi vim mouendi confert.

Quot oriuntur paria à Spinali medulla? R. Triginta, quæ spargũtur in musculos capitis, dorsi, brachij, thoracis, abdominis, vteri, vesicæ, ani, femoris, pedum.

Quid est ligamentum? R. Est instrumentum neruo simile, durius tamen, ex osse & cartilagine ortum.

Quid est chorda? R. Est instrumentum motus, ex neruis & ligamentis concretum.

Quid est vena? R. Est canalis seu vehiculum sanguinis, ex epate in vniuersum corpus.

Quot sunt venæ præcipuæ in toto corpore? R. Quatuor: Ex quibus, tanquam radicibus, cæteræ prognascuntur. Prima est vena portæ, quæ ex caua epatis regione prodit. Secunda est vena caua: ex gibbo epatis prodit, & velut arbor in varios ramos per totum corpus diffunditur. Ex vena caua propagantur in renes venæ emulgentes; Sic dictæ, quia serosam aqueámque humiditatem ex sanguine trahunt, & velut emulgent. Tertia, vena arterialis, quæ à dextro ventriculo cordis sanguinem vehit in pulmonem.

Quarta vena vmbilicalis est, quæ fœtui in vtero materno alimentum ex epate affert, nato verò infante, paulatim exardescit & obliteratur.

Quomodo appellantur venæ brachiorum? R. 1. Basilica, epatis vena interior in dextro brachio, & vena lienis in sinistro. 2. Cephalica vel humeraria inter pollicem & indicem secari solet. 3. Mediana ex congressu basilicæ & humerariæ constituitur, maximè cōnspicua in flexu brachij. 4. Saphena in cauo pedis. Hemorrhoides vehunt fœculentum sangninem; Gùldaader.

Quando secandæ venæ? R. Quatuor præsertim temporibus, quæ hoc disticho comprehensa sunt:

Martini, Blasij, Philippi, Bartolomei:
His minue venas, vt longo tempore viuas.

Quid est arteria? R. Est canalis, vehens spiritum vitalem ex corde cum purissima sanguinis portiuncula in vniuersum corpus.

Quid est aorta? R. Est truncus omnium arteriarum, è sinistro cordis ventriculo originem ducens.

Quomodo differunt venæ, arteriæ, & nerui? R. Tripliciter: Origine, subiecto, & vsu. Origine, quia venæ, secundum Galenum & alios Medicos, ab epate: arteriæ ex corde: nerui ex cerebro, & medulla spinali oriunrur. Subiecto, quia venæ constant tunica simplici, arteriæ duplici, interiori scilicet & exteriori: nerui verò triplici substantia constant. 3. Vsu. Quia venæ sanguinem; arteriæ spiritum vitalem; Nerui verò animalem spiritum, motum, & sensum per vniuersum corpus vehunt.

Quid est Panniculus vel tunica? R. Est membrana pertenuis, ex neruis & ligamentis facta, vt muniat & alliget membra.

Quid est musculus? R. Est instrumentum voluntarij motus, ex ligamento & carne conflatum.

Quot sunt musculi in toto corpore? R. In capite sunt 92. In trunco, i. e. parte corporis à capite ad anum 139. In brachijs 84. In pedibus 100. In summa 415.

Quid est Fibra? R. Est tenue filum, tenax & solidum, passim in totum membrum dispersum.

Quotuplices sunt? R. Triplices: Rectæ, quæ attrahunt: obliquæ, quæ retinent: & transuersæ, quæ expellunt.

Caput VII.
DE HVMORIBVS,

QVid est humor? Est succus naturalis, quo corpus totum nutritur, fouetur, & conseruatur.

Quotuplex est humor? Duplex: Naturalis, & præternaturalis. Naturales sunt quatuor: Sanguis, pituita, flaua bilis, & atra bilis.

Qui sunt vitiosi? Qui à naturali statu degenerârunt, & variorum morborum caussæ existunt.

Quotuplices sunt naturales? Duplices: Alimentarij & excrementarij. Alimentarij sunt, qui corpus naturaliter nutriunt. Excrementarij, qui excernuntur, quia alendo corpori sunt inutiles.

Vbi inueniuntur hi humores? Sanguis in venis: Pituita, partim in vẽtriculo ex cruditatibus generatur, partim mucus est ex cerebro, per nares & fauces destillans: Bilis flaua in fellis vesicula: Bilis atra seu melancholia in liene.

Vnde generantur hi humores? Ex alimento in Epate, Epar chylum ex ventriculo per venas mesaraicas accipit, quem calore suo natiuo conuertit in chymum.

Quid est chymus? Est massa quædam ex quatuor diuersis humoribus constans: Sanguine, pituita, flaua bile, & atra bile.

Quid est sanguis? Est humor temperatus ex calido & humido, dulcis, vt sit aptum & conueniens nutrimentum corporis.

Quid est pituita? Est humor frigidus, insipidus, subalbus: cum sanguine vehitur, vt eius ardorem mitiget, & cum sanguine membra phlegmatica nutriat.

Quid est flaua bilis? Est humor calidus, siccus, & amarus: cum san-

ſanguine tanquam ſpuma vehitur, vt cum eo membra cognata nutriat, meatus aperiat, & penetret.

Quid eſt atra bilis? R. Eſt humor frigidus, ſiccus, craſſus, niger & acerbus; cum ſanguine vehitur, vt eum ſpiſſiorem reddat, & oſſa atque ſplenem nutriat: Eſtq; velut fex ſanguinis.

Caput VIII.
DE SPIRITIBVS.

QVid eſt Spiritus? R. Eſt ſubſtantia agilis, ſubtilis, tenuis, ſenſum omnem effugiens, vim & facultatem agendi membris ſingulis impertiens.

Quotuplex ſpiritus in corpore? Triplex: Naturalis in Epate; vitalis in corde; & animalis, qui in cerebro generatur.

Quid eſt naturalis Spiritus? Eſt, qui in Epate generatur, & nihil aliud eſt quàm craſſior ſanguinis halitus, vapori ſimilis.

Quid eſt vitalis? Eſt flatus ſubtiliſſimus ex puriſſimo ſanguine in corde generatus, qui per aortam in totum corpus diſpergitur, vt viuificũ calorem, & vim ciendi motus & actiones, ei largiatur.

Quid eſt animalis? R. Eſt ſpiritus ſimilis radijs ſtellarum, qui ex ſpiritibus vitalibus in cerebro generatur, & per neruos in vniuerſum corpus diffunditur, vt motum, ſenſum, & omnes denique actiones animales cieat. Tantum de primo Libro.

LIBER SECVNDVS.
CAP. I.

QVid eſt Anima R. Ariſt: lib. 2. de anim. ſic definit? Eſt actus primus corporis naturalis, organici, vitam potentia habentis. ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ, ὀργανικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει.

Quomodo definitur theologicè? R. Eſt ſubſtantia ſpiritualis, immortalis & rationalis, vnita corpori, vt illud viuificet, moueat & regat.

Estne vna anima hominis, an plures? R. Vna tantùm est anima in quolibet animato, (scilicet, vel Rationalis, ,vel Sensitiua , vel vegetatiua) quæ reliquas potentias inferiores sub se continet.

Proba hoc? Impossibile est, duas aut plures formas substantiales simul esse in eodē subiecto. Si enim corpus plures haberet animas, esset chymæra varijs formis conflata.

Deinde: Si plures sint in corpore animæ quàm vna, essentijs & loco distinctæ, tum non totum corpus vna vice interibit, sed solummodo ea pars, cuius anima separata est: reliquæ autem partes, anima sua non destitutæ, adhuc viuerent. Quod est absurdum. Ergo vna tantùm est anima.

Quæ est sedes animæ? R. Quidam putarunt, eam in corde esse; & suam sententiam stabilierunt his argumentis:

Vbi est fons & principium vitæ, ibi anima: Fons & principium vitæ est in corde. Ergo.

Deinde: Vbi purissimus sanguis, ibi est anima. In corde est purissimus sanguis. Ergo.

Aristoteles collocat eam in corde, quia cor vitam & motum omnibus membris suppeditat.

Vbi medici ponunt eam? R. Medici, vt Galenus, animam in cerebro ponunt, quia præstantissimas actiones efficit, & est officina cogitationis, rationis, judicij & memoriæ. Et illi ducti hoc argumento: Vbi neruorum principium est, ibi animæ sedes est. In cerebro est principium neruorum. Ergo.

Vtra opinio est vera? R. Etsi Galenus probabiliter animam rationalem in cerebro collocat: tamen autoritas sacræ scripturæ facit, vt credamus, Cor esse sedem animæ, quæ affirmat, omnes cogitationes ex corde procedere. Marc. 7. v. 21. Et Paul. ait; Legem in corde scriptam esse.

Quæ est sententia veteris dicti: Anima est tota in toto, & in qualibet parte tota? R. Sensus est: Anima vbicunque est, tota est: Quia eius essentia incorporea est, quæ diuidi nequit. Inest itaque omnibus

corporis partibus tota, ſcilicet, vitam, facultatem, & operationem cuique impertiens.

Quomodo differunt animæ hominum ab Angelis? R. Angeli ſunt Spiritus, ab omni corporis concretione liberi. Anima verò hominis eſt ſpiritus, ita à Deo conditus, vt corporis moli velut ſocius inſiſtat, vt ſit corporea quædam natura, à qua Deus agnoſcatur & celebretur.

Soluiturne anima à Corpore? R. Etſi ſpiritus ille propter peccatum aliquandiu à corpore ſeparatur: tamen miraculosè ei poſtea iterum coniungitur, vt in æternum cum eo viuat.

Quomodo differt anima hominis à brutorum? R. Tribus potiſſimum modis. Primò, Anima hominis eſt incorporea & immortalis, anima verò pecudum eſt de corporea natura, ergo cum ea ſimul interit. 2. Anima hominis eſt ſpiraculũ vitæ diuinitus inflatũ, & iccirco dicitur anima rationalis. Brutorũ verò anima eſt ſpiritus vitalis, qui ex ſanguine intra corpus generatur. 3. Nobiliores actiones magisq́; mirandæ ab anima hominis prodeunt, quàm ab anima pecudum.

Caput II.

DE ORIGINE ANIMÆ.

QVæ eſt origo animæ? R. Quatuor ſunt præcipuè Theologorum ſententiæ de origine animæ. Prima eſt Origenis, quæ Platonicam illam προύπαρξιν & præexiſtentiam animarum ſtatuit: quòd ſcilicet certus ſit animarum numerus ab initio creatarum, quæ in corpora infunduntur, ſicut Angeli certo numero ſunt creati.

Secunda eſt Gregorij Niſſeni, qui animas hominum de nouo creari à Deo cenſet, tum videlicet, cùm corpus in vtero formatũ eſt, & idoneum factum ad recipiendam animã; in qua ſententia etiam eſt Hieronymus.

Tertia eſt eorum, qui animas ex traduce, id eſt, ex parentum propagatione ſeu procreatione oriri ſtatuunt. Quia nimirum homo non imperfectiùs generat quàm cætera animantia, quæ cor-

pus & animam ſimul in ſobolem propagant. Et in hac ſententia eſt D. Lutherus, qui dicit: Sicut calamus & ſpica ſunt ex eodem grano: ita anima & corpus ſunt ex eodem ſemine. Item in lege Moſis, ſemine abutentes pro homicidis habebantur, quaſi ſemen eſſet totus homo, ex anima & corpore compoſitus.

Quarta eſt Philippi Melanchthonis, qui vegetatiuam & ſentientem animam ex traduce eſſe cenſet. Rationalem verò creari in fœtu à Deo, non quidem nouo miraculo, ſed ea lege & virtute perpetua, qua primo homini Deus animam inſpirauit, præcedente, deliberante, & comitante verbo efficaci: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.

Vtra harum opinionum vera eſt? R. Etſi ex vtraque abſurda quædam ſequi videntur: tamen pro traduce ſtabimus. Quia, ſi anima ex traduce non eſſet, homo non totum hominem, ſed dimidium tantùm generaret: Nam anima altera pars hominis eſt, nempe forma & eſſentia hominis: Et ſic materiã hominis generaret homo, non verò formam, propter quam dicitur homo. Deinde bouis generatio eſſet perfectior hominis, cùm bos totum bouem generet. 3. De vegetante & ſentiente anima ſiue potentia, Philoſophi non dubitant aſſerere, quin ſint ex traduce, cùm & brutæ eas habeant. Sed in homine hæ facultates ſine potentia rationali non ſunt, quia potentia rationalis, ſecundum Ariſtotelem, includit in ſe ignobiliores potentias. 4. De Adamo ſcribitur, quòd filium genuerit ad imaginem ſuam: Ergo totum hominem genuit, cùm non in corpore tantùm, ſed in anima conſiſtit indiuiduorum humanorum ſimilitudo.

Eſtne anima immediatè à Deo? R. Hoc ſine abſurdo non poteſt ſtatui. Quia ſi immediatè à Deo ſtatuatur, aut peccati autor erit Deus, qui animam à ſe creatam, peccato ſtatim obnoxiam faciat: aut iniuſtus, quòd animam etiam innocentem, quæ nihil peccauit, in corpus peccato obnoxium immergat, vnde & peccato contaminetur, & cum corpore poſtea condemnetur.

Caput III. De potentiis Animæ.

QVid est potentia animæ? R. Est certa facultas seu virtus, animæ hominis naturaliter insita, cuius beneficio actiones suæ naturæ proprias efficit.

Quot sunt potentiæ animæ hominis? R. Quinque: Vegetatiua, sensitiua, appetitiua, locomotiua, & rationalis. Hæ quinque saltem sunt in anima hominis, in brutis tantùm quatuor.

Quid est vegetatiua potentia? R. Est, quæ corpus nutrit, auget & gignit semen ad multiplicationem sui: talem potentiam habent omnes res viuentes, & ex terra, & ex aqua nascentes.

Quot sunt facultates huius potentiæ? R. Tres: Nutritiua, augmentatiua, & generatiua. Nam vegetare significat nutrire, augere & generare simile sui, quæ tres facultates etiam in plantis sunt.

Quid est nutritio? R. Est conuersio alimenti in substantiã animati, facta vi caloris naturalis, vt instauratio fiat in eo, quod deficere incœperat.

Quotuplicia sunt organa nutritionis? R. Duplicia: Propinqua, vt Os, Oesophagus, ventriculus, epar, venæ. Et remotiora, vt sunt quatuor facultates naturales, singulis partibus attributæ.

Quæ sunt illæ quatuor facultates naturales? R. Attractiua, retentiua, alteratiua, & expulsiua.

Quid est attractiua? R. Est, quæ villis rectis vtitur, quibus quælibet pars corporis sibi gratum & conueniens ex sanguine alimentum allicit: græcè ἑλκτική.

Quid est retentiua? R. Est, quæ obliquis villis vtitur, quibus attractum alimentum aliquandiu in corporis particula detinetur, donec natura illud exactiùs elaborare incipit, καθεκτική.

Quid est alteratiua? R. Est, qua alimentum in partem corporis nutriendi conuertitur, vt nutriendo corpus fiat; & solo naturali calore perficitur.

Quid est expulsiua? R. Est, quæ transuersis vtitur villis, quibus inutile & superfluum in alimento expellitur, ἐκκριτική.

Cur opus est nutritione? R. Quia sicut lychnus semper aliquid ce-

ræ aut olei absumit: ita calor naturalis continuò agit in humidum radicale, & aliquam eius partem absumit, quæ nisi nutrimento instauretur, vita sustentari non possit. Hac de re appetitio cibi & potus, scilicet fames & sitis, in animalibus ordinata est, vt perpetua nutritio fiat.

Quid est fames? R. Est sensus suctionis venarum in ventriculi orificio.

Quomodo fit fames? R. Membra exhausta sugunt venas, venæ epar, epar mesaraicas, Mesaraicæ orificium ventriculi: vnde corrugatio orificii sequitur, quæ propter copiam multorum neruorum in orificio ventriculi dolorem affert, qui dolor talem imaginationem excitat, vt impellat animal ad acquirendum cibum.

Cur definitur fames sensus? R. Vt discrimen statuatur appetitionis nutrimenti in plantis & animalibus. Nam plantæ exhaustæ etiam nutrimentum quærunt, sed sine sensu, quoniam non sunt animalia, quæ famescere & propriè sitire dicuntur.

Quomodo ergo appetitus nutrimenti in plantis vocatur? R. Vocatur appetitus naturalis, quia natura stimulante, sine aliquo sensu, plantæ nutrimentum desiderant. Sed in animalibus vocatur appetitus animalis, quia imaginatione ex sensu coctionis, qui tantùm animalibus proprius est, excitatur; sicut dicitur: Sensus facit animal.

Quid est sitis? R. Est appetitio humectationis & refrigerationis in arefactione & æstu. Galenus: Organum famis & sitis est orificium ventriculi, vtpote in quo sentitur talis irritatio.

Caput IV.

Q*Vomodo fit nutritio in corpore animantis?* R. Beneficio trium coctionum, quibus alimentum præparatur, vt tandem particulæ corporis nutriendi assimilari queat, quæ est reuera nutritio, sicut Galenus inquit.

Quæ est prima coctio in corpore animantiũ? R. Est, quæ fit in ventriculo, vbi alimentum calore eius natiuo in chylum conuertitur.

Cuius

Cuius quædam præparatio in ore fit, vbi cibus leuem quandam alterationem accipit. Absolutio illius coctionis fit in intestinis, quia & ipsa modicam coquendi vim habent: humor huius coctionis dicitur chylus, excrementum sunt feces.

Quæ est secunda coctio in corpore? R. Est, quæ fit in epate, vbi chylus calore eius natiuo in sanguinem conuertitur; & dicitur αἱμάτωσις, i. e. sanguinis elaboratio. Eius præparatio quædam facta est in venis Mesaraicis, quæ ex intestinis ad epar porriguntur, vbi chylus rubescere incipit. Absolutio eius fit in vena caua, & alijs venis maioribus, quæ etiam vim quandam sanguificandi habent.

Quæ est eius massa? R. Est chymus, complectens quatuor humores: Sanguinem, pituitam, flauam bilem, & atram bilem.

Quæ sunt eius excrementa? R. Sunt vapores; quia vtraque hæc coctio est ἕψησις seu elixatio, quæ sine vaporibus fieri non potest.

Quæ est tertia coctio in corpore animantis? R. Est, quæ fit in singulis partibus vniuersi corporis, vbi sanguis in substantiam partis nutriendæ conuertitur. Eius præparatio fit in extremitatibus venarum, & in venulis capillaribus. Eius absolutio est perfecta ὁμοίωσις seu assimilatio nutrimenti cum parte nutrienda, cùm videlicet in eius substantiam transit & conuertitur.

Quæ est eius massa? R. Sunt humores secundarij, qui vno vocabulo aliàs cambium dicuntur. Excrementa eius sunt sudores corpori adhærescentes, & quicunque vapores semper occultè per poros cutis exhalant.

Caput V.

QVæ sunt res non naturales, adiuuantes concoctionem? R. Sex à Medicis recitantur: Aër: cibus & potus: somnus & vigilia: motus & quies: euacuatio vel expulsio: & affectus animi.

Cur vocantur non naturales res? R. Quia non sunt partes natiuæ siue

ſiue internæ hominis, ſed foris accedunt, tanquam materia & adiumenta, ad alendum & tuendum corpus neceſſaria.

Cur hic conſideratio aëris eſt neceſſaria? R. Propter duas cauſſas. Prima eſt, quia aër euitari non poteſt, ſed etiam nobis inuitis hauriendus. Secunda, quia calor naturalis & ſpiritus noſtri, ad conſeruationem ſui eo aëre tanquam pabulo vtuntur. Ideo magni refert, aërem ſiue cœlum, quo vtimur, eſſe purum, tenue, non turbidum aut nebuloſum. Ratio. Quia aër craſſus, ſiue craſſum cœlum efficit corpora pinguia & valentiora, ingenia verò hebetiora.

Hippocrates de flatibus: Aër mortalibus vitæ, & morborum ægrotis ſolus eſt autor.

Galenus in arte medicinali: Ab aëre corpus afficitur, id eſt, mutatur, quia aut calefit, aut frigeſit; aut exſiccatur, aut humectatur.

Quæ ſunt conſideranda in cibo & potu? R. Nouem præcipuè: 1. dignitas ſeu bonitas cibi. 2. qualitas. 3. quantitas cibi. 4. conſuetudo. 5. Delectatio. 6. Ordo. 7. Tempus. 8. Vices anni. 9. ætas.

Quæ ſunt regulæ de cibo & potu tenendæ? R. Duæ. Prima, vt conueniente & conſueto tempore cibus & potus ſumatur. Nam vbi diutiùs differtur, impletur ventriculus vacuus prauis humoribus, vtpote bile ſanioſa, pituitoſa, & ſeroſa: Suam enim actionem naturalem non ſuſpendit aut intermittit ventriculus, quare vbi cibo deſtituitur, egeſta reuocat. Secunda: Cibi & potionis tantum ſumendum eſt, vt reficiantur vires, non opprimantur. Cicero in Catone maiore inquit: Nam cibi & potionis nimia copia menti & corpori obeſt. Id idem Cic. in 5. Tuſcul. probat: Quid, inquit, quòd ne mente quidem rectè vti poſſimus, multo cibo & potu impleti.

Recita Marſilij Ficini climacem de his: Qualis concoctio, talis ſanguis: qualis ſanguis, tales ſpiritus: quales ſpiritus, tales ſunt ingeniorum, animorum & corporum affectiones.

Hippocrates: Indigentia ſanitatis mater eſt: Labores atque exercitia bonam valetudinem conſeruant. Sira-

Siracides: Copia cibi gignit morbos, & helluo corpus ſuum multis humoribus replet.

De ſomno & vigilia.

QVid eſt ſomnus? R. Eſt quies facultatis ſentientis in cerebro, propter neruos ſuauibus halitibus & humoribus obſtructos.

Quomodo fit ſomnus? R. Quando poſt cibum ſumtum vapores vtiles ex nutrimento exhalant in cerebrum, vbi ſuauiter frigiditate cerebri condenſantur, paſſim in cerebro fluentes, meatus ſenſuum obſtruunt, & neruorum motiuorum.

Quæ eſt cauſſa efficiens ſomni? R. Calor, qui virtute cordis intrò reuocatur, vt coctiones ventriculi & Epatis adiuuet: Vnde fit, quòd externa membra in ſomno frigeant, & tegumentis pluribus indigeant.

Quæ eſt cauſſa materialis? R. Sunt vapores ſuaues, ex nutrimento ſurſum in cerebrum exhalantes, & obſtruentes meatus ſenſuum & ſpirituum, vt moueri membra deſinant.

Quæ eſt formalis cauſſa? R. Eſt ipſa quies ſenſuum exteriorum, viſus, auditus, item motus localis, vt neque manus, neque pes, ampliùs moueatur, & officium ſuum faciat. Senſus autem interiores non impediuntur, vt patet in ſomnijs, quæ nihil aliud ſunt, quàm interiorum ſenſuum affectiones, quoniam phantaſia ibi varias fingit imagines in ſomno.

Quæ ſunt finales cauſſæ ſomni? R. Vt recreetur Cor & Cerebrum, & vt coctiones ventriculi & epatis iuuentur.

Quomodo differunt ſomnus & apoplexia? R. In ſomno & apoplexia fit neruorum obſtructio; Sed hoc diſcrimine. 1. Vapor ex ventriculo in ſomno exhalans, eſt ſuauis, purus, & liquidus: In Apoplexia verò eſt humor craſſus, ſordidus & lentus. 2. In Apoplexia fit deſtructio totalis, humore ſcilicet craſſo & lento ventriculos cerebri prorſus apprehendente, vnde motus & ſenſus prorſus

cessant. In somno tantùm partialis fit destructio neruorum, imò potiùs irrigatio quædam cerebri.

Quæ sunt præcipuè notanda in somno? Tria: Primò tempus, quod est aptissimum somno, nempe vespertinum aut nocturnum, post cœnam factam. 2. Quantitas seu duratio somni, quæ æstimatur ex alimentorum coctione perfecta, quando cruditas ex hesterno cibo ampliùs non sentitur. 3. Decubitus, qui primùm in dextrum latus fieri debet, vt cibus promptus ad fundum ventriculi descendat: Deinde, in sinistrum. Supinum comitatur plerunque incubus, propter abundantiam crassi sanguinis circa Cor.

Quot sunt consideranda in motu & quiete? Duo: Primò, motus seu agitatio præcedat cibum: Sic excitatur calor, superfluitates consumuntur & expelluntur, & appetitus irritatur. Secundò, post sumtum cibum vitandi sunt omnes corporis & animi vehementiores motus, quibus calor internus ad exteriora vocatur, eoq; dissipato, concoctio fit debilior, & corpus cruditatibus impletur.

Quid de euacuatione tenendum est? R. Euacuationes excrementorum iusto tempore, natura scilicet stimulante, fiant: Illa enim retenta vltra justum tempus, noxiam corpori inferunt: Inprimis aluus exoneranda quotidie. Deinde reddenda est vrina tempestiuè, non nimis sæpe, nec nimis rarò.

Quid de affectibus animi notandum? R. Affectus sunt animi motus, quibus vel perturbatur, vel exhilaratur homo. Ergo immoderati affectus sunt vitandi, vt tristitia, mœror, dolor, metus, quia sunt carnifices animi & corporis. Contrà, lætitia, spes, bona conscientia sunt dulces nutriculæ vitæ & sanitatis, vt in lib. 1. de Repub. Platonis dicitur.

Cap.

Caput VI.

DE AVGMENTATIONE.

Quid est augmentatio? R. Est, qua corpus secundum omnes dimensiones; scilicet, longitudinem, latitudinem,& spissitudinem accrescit.

Regula: Nutritiua potentia indiuiduum conseruat: Augmentatiua ad justam magnitudinem prouehit: Generatio speciem conseruat.

Quàm diu accrescit siue augetur homo? R. Vsque ad ἀκμὴν, hoc est, vigorem, circiter annum ætatis vigesimum quintum. Etsi postea in aliquibus partibus corpus fit maius: tamen ea pinguefactio, non augmentatio, dicitur.

Cur desinit augmentatio post ἀκμὴν? R. Primò, quia calor natiuus fit debilior, & membra omnia, præsertim ossa, fiunt aridiora, vt ampliùs extendi & deduci nequeant. 2. Quia jam magnitudinem suæ naturæ conuenientem adepta sunt.

Quot numerantur ætates hominis? Sex præcipuè: Prima est pueritia, quæ durat ad annum 14. & est calida & humida.

Secunda est pubertas, ab anno decimoquarto ad annum 18. ea est humida & magis calida.

Tertia est adolescentia, ab anno 18 vsque ad 25. & hæc est optimi temperamenti.

Quarta est juuentus, à 25 anno vsque ad 35. & illa ætas dicitur florida, & est calida & sicca.

Quinta est virilitas, à 35 anno vsque ad 50. Et est temperata ætas, nec calida, nec frigida.

Sexta est Senectus, à 50 anno ad finem vitæ: Eáque triplex est: Viridis senecta, à quinquagesimo anno vsque ad 60. Media senecta, à 60 vsque ad 70. Tertia decrepita, ab anno 70 vsque ad finem vitæ.

Caput VII. De generatione.

QVid est potentia generatiua? R. Est facultas in animalibus, generans simile, ordinata ad conseruationem speciei. Nam, vt ait Arist. Naturalissimum opus est in viuentibus, generare sibi simile.

Quot sunt consideranda in generatione? R. Tria: Conceptio ex semine, conformatio & editio foetus.

Quid in conceptione considerandum? R. 1. Semen animalis. 2. Vasa seminaria. 3. Ortus à cerebro. 4. An fœmina actiuè concurrat ad procreationem fœtus.

Quid est semen? R. Est humor ex purissimo sanguine totius corporis ad testes deriuatus, & ad albedinem in vsum generationis excoctus.

Quæ sunt vasa seminaria? R. Sunt duo canales, qui attrahunt vtilem superfluitatem vltimæ coctionis.

Vnde oriuntur vasa ista? R. Ex ramo venæ cauæ, infra dextrum renem oritur vena, & non procul à ramo aortæ descendentis oritur arteria, quæ paulatim concurrunt, veluti pyramidem efficientes, & ad dextrum testem descendunt. Similia duo vasa in sinistro latere oriuntur, & in sinistrum testiculum descendunt.

Vnde est semen? R. Ex toto corpore oritur, sanum à sanis partibus, languidum à languentibus, sed plurimum à cerebro emanat. Est igitur immoderata Venus inimicissima & perniciosissima cerebro.

Quid hîc notandum est? Regulare esse, certorum membrorum morbos in natos propagari: vnde apparet, materiam seminis ab illis parentum membris ortam esse.

Concurrit ne mulier actiuè ad procreationem fœtus? R. Galenus affirmat, viri & mulieris semina juncta, esse materiam fœtus: etsi viri semen calidius & crassius sit, mulieris frigidius & humidius, & ob eam caussam esse velut nutrimentum virili semini.

Quid de conformatione tenendum? R. Ea hisce duobus versiculis optimè comprehensa est:

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine trini,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

Quando in lucem editur? R. Qui in lucem eduntur sexto mense, aut citiùs, non viuunt. Quia nondum perfectus est fœtus. Qui verò post septimum mensem eduntur, viuere possunt, quia tunc absolutus est fœtus, & mensis est criticus. Calor maior seminis, dicitur esse caussa, cur masculi gignantur. Similitudinis caussa, vt Galenus vult, est vis maior paterni aut materni seminis.

Caput VIII. De potentia sentiente.

QVid est potentia sentiens? R. Est facultas in corporibus animātium, singularia percipiens.

Quomodo differunt sensus & intellectus? R. Sensus versatur tantùm circa singularia seu indiuidua: Intellectus verò circa vniuersalia, quæ sunt species & genus.

Quotuplices sunt sensus? R. Duplices: Exteriores, & interiores.

Quot sunt sensus exteriores? R. Quinque: Visus, auditus, gustus, olfactus, tactus.

Quis est vsus sensuum exteriorum? R. Duo sunt præcipui. Primùm sunt nuncij & interpretes mentis, id est, mens vtitur sensibus exterioribus tanquam famulis, per quos explorat seu cognoscit res singulas. Quod enim oculus videt, id menti annunciat; quod auris audit, id tanquam nuncius perfert ad mentem. 2. Sunt experientiæ testes. qui enim cupit experiri, vtrum calida sit aqua aut frigida, per tactum explorat. Quod vidimus, quod auribus percepimus, id verum esse testamur.

Quot sunt consideranda in singulis sensibus exterioribus? R. Quatuor: Subiectum, organum, modus, & medium.

Quotuplex est subiectum? R. Duplex: Proprium, & commune, vt magnitudines, figuræ, numerus, motus & situs corporum. Regula: Excellens Sensile lædit sensum.

Caput IX. De visu.

Quid est visus? R. Est sensus in oculis, percipiens lucem & colorem, tanquam propria obiecta.

Quid est Lux? R. Est qualitas in corporibus cœlestibus, igni, aëri, aquæ, & alijs corporibus sese immiscens.

Quid est color? R. Est qualitas mixti corporis, orta à mixtione lucidarum partium cum obscuris.

Quod est organum visus? R. Principale est humor crystallinus, qui sui natura lucet, eíque nerui optici spiritum afferunt, qui vitam oculis impertit.

Quæ sunt subiecta propria visus? R. Lux & color. Quia sine luce nihil potest cognosci & discerni. Color verò omnibus rebus, quas cernimus, inest.

Quæ sunt media visus? R. Aër & aqua, quatenus pellucida sunt; nam perspicuum seu pellucidum ad visum est necessarium.

Quomodo fit visio? R. Plato, & cum eo Mathematici, censent, visum fieri ἐκ πομπῆ, h. e. per emissionem radiorum ab oculis ad visibilem rem. Exempli gratiâ: Cùm aspicis equum, ab oculis tuis exeunt radii quidam ad equum. Ita, secundum Platonem, visio nihil aliud est, quàm obiecti apprehensio per radios ab oculo prodeuntes.

Aristoteles verò existimauit, visionem fieri εἰς δοχῆ τῶν εἰδώλων, i. e. per receptionem siue incursionē specierum vel rerum visibilium in oculis. Plato putabat, visionem fieri extra oculum; Aristoteles verò intra oculum.

Vtra harum opinionum vera est? R. Aristotelis. Ratio est, quia cùm diu aliquid intuemur, concipimus illius rei notam siue imaginem in mente, ex quo satis apparet, visum fieri conceptione rei visibilis.

Quomodo probatur? R. Ab effectu. Lumen excellens vel aspectio cuiuscunque rei diuturna & accurata, nonnihil lædit vel hebetat visum: Quod autem læditur vel hebetatur, id alterius in se actionem suscipit, id est, patitur ab eo. Ergo suscipiendo rerum formas fit visio.

Qui

Qui sensus sit celerior, visus an auditus? R. Visus multò citiùs & celeriùs fit, quàm auditus, quia visa secundum rectam lineam videntur. Audita per quandam gyrationem & curuas lineas ad aures deferuntur.

Cur, cùm duo sint oculi, res non geminæ videntur? R. Quia imagines vel species, ab vtroque oculo receptæ, in neruos opticos coeunt, qui cùm juncti sint, species etiam receptæ junguntur. Vide Aristotel. in problematib.

Caput X. De auditu.

QVid est auditus? R. Est sensus in auribus, percipiens sonos per aërem vel aquam

Quid est sonus? R. Est qualitas, orta ex aëris fractione, quæ fit collisis inter se duobus duris corporibus, latitudinem aliquam habentibus.

Quot requiruntur ad sonum? R. Tria: Primò, duo corpora collisa, vnum percutiens, alterum percussum; Et tertium corpus, quod inter hæc duo colliditur, quod est aër.

Quod est organum auditus? Neruus, membranæ modo dilatatus siue expansus: Deinde duo ossicula, quorum vnum incudi, alterum malleolo assimilatur: Tertiò, aër pertenuis, auribus ingenitus, & auditorij nerui extremum pertingens.

Quomodo fit auditus? Sonus, ingrediens in aures, impellit malleum, vt feriat incudem; excitantur simul spiritus in neruis, & sic sonus percipitur.

Quod est subiectum auditus? Est sonus.

Quod est medium auditus? Aër exterior & interior. Et notandum, non tantùm auditionem fieri in aëre, sed etiam in aquis, vt constat, ex aquis pisces audire.

Quid est Echo? Est reciprocatio soni vel vocis, facta ex refractione aëris in aliquo cauo opposito.

Vbi fit Echo? R. Non in loco patenti, quia aër cedit ad la-

ter-

tera, & elabitur, simúlque sonus & vox euanescit, sed in syluis, montibus, locis cauernosis & littoribus.

Quomodo differunt sonus, vox, & sermo? R. 1. Subiectis. Quia sonus tam ab inanimantibus, quàm animantibns corporibus excitari potest: Vox est propria brutorum: Sermo soli homini competit. 2. Instrumentis. Organum vocis proprium est rimula illa in laringe: Sermonis est lingua: Sonus verò alijs corporis partibus fieri potest ac solet, vt strepitus.

Caput XI. De olfactu.

Qvid est olfactus? R. Est facultas in prioribus cerebri ventriculis, odores percipiens.

Quid est odor? R. Est qualitas in halitu, exeunte ex mixtis, in quibus aëream humiditatem terrestris siccitas vincit.

Quod est organum odoratus? R. Sunt duæ propagines à prioribus cerebri ventriculis in os cribrosum seu ἠθμοειδὲς descendentes. Nares seruiunt huic sensui, quia in illis colliguntur halitus, & via sunt collectis halitibns in os ἠθμοειδὲς.

Quomodo fit olfactus? R. Cùm halitus, qui odores perferunt, per foramina ossis cribrosi, ad hunc vsum fabricati, penetrârint, ab ijs cerebri propaginibus percipiuntur, & in priores cerebri ventriculos transmittuntur.

Quod est medium odoratus? R. Aër, quanquam pisces per aquam odores percipiunt; nam alij alijs escis capiuntur.

Quare in Oriente nascuntur res odoratiores? R. Quia ea loca sunt calidiora. Nã in odoris generatione calorem & siccitatem dominari, necesse est: Ideo quæ humidiora sunt, minùs sunt odorata: & prorsus arida, etiam non sunt odorata.

Cur homini hebetior olfactus, quàm cæteris animantibus? R. Quia homo nasum habet breuissimum, & neruum odoris omnium minimum habet proportione. Canis verò omnium animantium sagacissimus, neruum odoris boue ipso grandiorem habet.

Cur

Cur, qui sertis ac floribus moderatè vtuntur, diutiùs jucundiúsque viuunt? R. Quia nihil animus magis abhorret quàm fœtorem: contrà verò nihil gratius est odore suaui, qui derepentè tristitiam ex animis eluit, & jucunditate quadam oblectat.

Caput XII.

DE GVSTV.

Quid est gustus? R. Est sensus in lingua & palato, sapores percipiens.

Quod est organum gustus? R. Est pellicula expansa in lingua sub carne porosa seu spóngiosa, quæ est in linguæ superficie: eadem pellicula & in palato sparsa est.

Quod est subiectum gustus? R. Est Sapor.

Quid est Sapor? R. Est qualitas in succo, in quo humiditas aërea vincit siccitatem terrestrem, calore vtramque digerente.

Quotuplex est Sapor? R. Laxans & Astringens.

Quid est Laxans? R. Est, quem lingua excipiens, diffunditur, & quasi dilatatur, eóque non læditur, aut exulceratur.

Quot sunt eiusmodi? Dulcis & pinguis.

Quid est dulcis? Est, in quo aërea humiditas exuperat, & quem, cùm naturæ sanguinis nostri & carnis proximè congruat, lingua auidè excipit, ac voluptate afficitur.

Regula de Dulcibus? Nutrimentum hominis oportet esse dulce, aut dulci permixtum.

Quæ sunt effecta dulcedinis? Dulcia jungunt, implent,, & restituunt erosas particulas.

Saccarum & mel excellenter dulcia sunt, & valde nocent, quia sunt valde calida & aërea, citò in igneam naturam vertuntur. Mel & saccarum in rubram bilem celerrimè vertuntur, quare auidius vsi saccaro, sæpe perniciosè inflammantur.

Quid est pinguis sapor? Cui subest aërea humiditas minor.

Regula: Mediocriter pinguia prosunt in nutrimẽto, nimis verò pinguia nocent, quia solent supernatare, & impedire coctionem.

Quid est astringens? Est, qui astrictionem efficit, qua offenditur & exasperatur lingua.

Quotuplex est? Duplex: Calidus, cuius 3 Species sunt; amarus, acris, salsus. Frigidus; cuius etiam 3 Species sunt; acerbus, austerus, acidus.

Quod est medium gustus? Illud duplex est: Exterius, vt salivalis humiditas; vel interius, vt caro fungosa seu porosa. Ideoque febricitantibus omnia fiunt amara: quia saliua biliosa redundat in lingua.

Caput XIII. De Tactu.

QVid est tactus? R. Est sensus, percipiens primas & secundas qualitates, pelliculâ nerueâ per carnem totius corporis, tanquam rete, expansa.

Quod est organum tactus? R. Pellicula nervea, intexta carni totius corporis, sub extrema cute, quæ oritur à neruis cerebri & medullæ spinalis.

Quod est subiectum tactus? R. Qualitates primariæ: Caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, & ex his ortæ; molle, durum, &c.

Quod est medium tactus? R. Est caro bene disposita, aut os, cui neruus inseritur. Nam & dentes per neruos, sibi implantatos, tactum percipiunt.

Quæ animantia tactum omnium integerrimum habent? R. Quæ tenuissimam habent cutem, vt aranei, vermiculi.

Caput XIV. De sensibus interioribus.

QVot sunt sensus interiores? R. Tres: Sensus communis, phantasia & memoria.

Quid est sensus communis? Est, qui æqualiter omnium sensuum exteriorum obiecta percipit, eáque inter se discernit, vt oculus pariter albedinem & nigredinem percipit, sed sensus communis discernit. Organum eius est in geminis cerebri ventriculis.

Quid est phantasia? Est vis animæ, quæ species sensibiles, à sensu.

ſu communi oblatas, recipit, & conſignat, & componendo, diuidendóque varias ex ijs imagines ac notiones quaſi extruit. Hæc eſt ſumma brutorum facultas ſeu cognitio, mentis & intelligentiæ inſtar in illis obtinens.

Quid eſt memoria? R. Eſt ſenſus interior, qui comitatur obiecta.

Quod eſt eius organum? R. Poſtrema pars cerebri, quæ cerebellum appellatur, quod & ſiccius eſt, & multos ſinus habet, quare ad accipiendas & retinendas imagines magis accommodatum.

Caput XV. De potentia appetitiua.

QVid eſt Appetitus? R. Eſt facultas animæ, proſequens aut fugiens obiecta. Notandum hîc, quòd cognitio ſemper præcedit appetitum, vt dicitur: Ignoti nulla cupido.

Quotuplex eſt Appetitus? Triplex: Naturalis, ſenſitiuus, & voluntarius.

Quid eſt naturalis? R. Eſt, quem excitat natura, tam in animatis, quàm in inanimatis; Sic lapis naturaliter appetit locum deorſum. Sic planta exhauſta, naturaliter, ſine ſenſu aliquo, irrigationē appetit. Sic partes noſtri corporis alimentum petunt.

Quid eſt appetitus Senſitiuus? R. Eſt, qui ſenſum ipſum, & cognitionem per ſenſus in animalibus ſequitur, quare à Medicis animalis dicitur.

Quid eſt appetitus voluntarius? R. Eſt, qui comitatur intellectum in homine. Dicitur etiam rationalis, quia ſolis ratione præditis, non brutis, competit.

Caput XVI. De Affectibus.

QVid eſt Affectus? R. Eſt motus cordis & voluntatis, ſequens cognitionem, proſequens aut fugiens obiectum.

Quotuplices ſunt Affectus? R. Duplices: Alii ſunt conſeruantes naturam hominis, vt lætitia, ſpes, amor; abſque his nulla vita eſſe poteſt. Alii ſunt lædentes & deſtruentes naturam, vt triſtitia, metus, ira, odium. Mœrore cor contabeſcit.

Quomodo fiunt affectus? R. Spiritus animales in cerebro formant imaginem obiecti, quam cordi communicant, quod pulsatum à spiritibus, aut dilatatur, si bonum est; aut constringitur, si malum est.

Quomodo reguntur affectus? R. Sicut gubernatio in imperijs duplex est: δεσποτικὴ videlicet, & πολιτικὴ: Sic gubernatio affectuum duplex est.

Quid est δεσποτικὴ? R. Est, qua mens & voluntas regunt locomotiuam: & externa membra, vel reprimunt, vel incitant.

Quid est πολιτικὴ? R. Est, cùm non tantùm externa membra per locomotiuam coërcentur, sed ipsum cor congruit cum recta ratione & honesta voluntate, motuum persuasione.

Caput XVII. De potentia locomotiua.

Q*Vid est potentia Locomotiua?* R. Est, quæ quamcunque corporis partem externam, ciente ratione aut imaginatione, ex alio loco in alium locum transfert.

Quæ sunt organa Locomotiuæ? R. Sunt nerui, musculi, & chordæ, quibus hoc munus à natura tributũ est, vt corpus aut partes corporis de loco in locum promoueant.

Quæ est caussa efficiens locomotiuæ? R. Est appetitus, vel auersio, excitata in brutis ab imaginatione, & ab intellectu seu ratione in homine. Huc postea accedit spiritus animalis, in cerebro formatus, qui organa impellit.

Quot sunt species motuum? R. Tres: Naturalis, voluntarius, & mixtus.

Quid est naturalis? R. Est, qui suum principium ab inclinatione naturæ habet, sine præcedente aliqua cogitatione; vt grauia deorsum, leuia sursum mouentur.

Quid est voluntarius? R. Est, qui voluntatis seu appetitus imperium sequitur, præcedente tamen cogitatione; & potest intendi aut remoueri pro arbitrio.

Quid.

Quid est mixtus? R. Est, qui partim naturalis, partim voluntarius est. Talis est in respiratione, & in excrementorum ejectione.

Ad quam speciem motus pertinet locomotiua? R. Pertinet ad voluntarium motum. Nam per musculos externa corporis membra cientur, vt aut agant aliquid, aut omittant; aut apprehendant, aut reijciant.

Quomodo fit locomotiua? R. Hoc modo: Notitia ferit cerebrum: Cerebrum ciet neruos: nerui transuehunt spiritus ad musculos: Musculi mouent chordas: chordæ mouent membra.

Caput XIIX. De potentia rationali.

QVid est potentia rationalis? R. Est summa animæ humanæ facultas, qua ad actiones suas rectè obeundas homo vtitur.

Quomodo diuiditur potentia rationalis? R. In intellectum & voluntatem. Etsi vna & eadem mentis & voluntatis essentia: tamen ex actionum diuersitate illud discrimen sumatur.

Estne potentia hæc Organica, vel non? R. Est inorganica, quia etiam sine organis, id est, oculis, auribus & cæteris, exercere actiones suas potest.

Estne intellectus in brutis? R. Non. Etsi enim apes, hirundines, & alia bruta efficiunt ingeniosa opera: tamen actum reflexum nō habent, id est, non possunt judicare de suis operibus, nec alicujus propositionis veritatem aut falsitatem intelligunt. Deinde sciendum, etsi irrationalia animalia virtutum humanarum ac vitiorum quædam simulachra præ se ferunt, vt apes & formicæ diligentiā, equi superbiam, vulpes astutiam: tamen hæc, nec vlla electione, neque vllo libero arbitrio, nedum intellectu seu ratione agunt, sed mero ductu, instinctu, & impetu naturæ.

An non rerum notitia naturâ nobis inest, an verò vsu paratur? R. Quædam notitiæ nobiscum nascuntur, quæ ob id principia & notitiæ naturales appellantur: Aliæ verò vsu parantur.

Quot sunt actiones intellectus? R. Medici tres numerant: Imagi-

N Clima locomotiuæ

nationem, ratiocinationem, & memoriam. Sed in Scholis septem numerantur: Simplicium cognitio, numeratio, compositio & diuisio, ratiocinatio, memoria seu recordatio, judicium & conscientia.

Quod est obiectum intellectus? Ens, quàm latè patet, id est, quicquid est extra, & in ipsa rerum natura, id homo intelligere debet: extra naturam est Deus, hunc inprimis nosse debet homo. In natura sunt res naturales, quæ etiam homini cognitæ esse debent.

Quotuplex est notitia? R. Duplex: Intuitiua, quæ est præsentis rei cognitio: vt cùm aspicis absynthium: Alia abstractiua, quæ est rei absentis & inuisibilis cognitio, qualis est cognitio Dei in hac vita: item amici absentis.

Caput XIX. De voluntate.

Q*Vid est voluntas?* R. Est potentia appetens suprema, & liberè agens, monstrato obiecto ab intellectu.

Quæ sunt actiones voluntatis? R. Tres: Nolle, velle, & suspēdere actionem.

Quotuplices sunt actiones in voluntate? R. Duplices: Elicitæ siue προαιρετικαί, in quibus voluntas seriò & liberè hoc vult, quod in sermone, gestu, & actione foris ostenditur.

Aliæ imperatæ seu simulatæ, in quibus affectus cordis cum imperio voluntatis, regentis locomotiuam, non congruunt.

Quotuplex est imperium voluntatis? Duplex: πολιτικόν, ciuile, & δεσποτικόν, herile; Voluntas imperat cordi πολιτικῶς, ciuiliter, persuasione magis reprimens affectus, quàm coactione. Alijs membris, siue locomotiuæ potentiæ imperat δεσποτικῶς, heriliter, seu, vt herus seruo.

Quódnam obiectum voluntatis? R. Bonum, quod aliud atque aliud ab alijs statuitur.

Quod est summum bonum Epicuro? R. Voluptas ex cibo, potu, & Venere; quod probatur ex verbis Cyclopis apud Euripidem: Non vlla

vlla numina expauesco cœlitum, sed victimas vni Deorum maximo ventri offero: Deos cæteros ignoro.

Quod est secundum Aristotelem? R. Actio virtutis: Stoicis virtus: Platoni Idea.

Quódnam est summum bonum in Ecclesia? R. Ipse Deus, qui est bonum infinitum, cum Filio Iesu, & Spiritu sancto.

Quot sunt adiuncta voluntatis? R. Quatuor: Libertas, naturales inclinationes, habitus, & affectus.

Quid est libertas voluntatis? R. Est, qua voluntas potest agere, aut non agere, aut hoc modo, aut alio.

Quid sunt naturales inclinationes? R. Sunt virtutum ciuilium semina; Et sunt aut bonæ, vt στοργαὶ φυσικαί: aut vitiosæ, vt auersio à Deo, amor nostri inordinatus, φιλαυτία.

Habitus ex frequentibus actionibus nascuntur. De affectibus suprà dictum est.

Caput XX. De Somniis.

QVid sunt Somnia? R. Sunt actiones interiorum sensuum, qui cessantibus exterioribus, mira cogitant, iudicant, & fingunt.

Quotuplicia sunt somnia? R. Duplicia: Naturalia, & præternaturalia.

Quæ sunt naturalia? R. Sunt, quæ caussas naturales habent, & sunt duplicia: Vulgaria, & Mantica.

Quæ sunt vulgaria? R. Quando sensus interiores repetunt ea, quæ per diem dicta, facta, & cogitata sunt.

Quæ sunt Mantica? R. Sunt, ex quibus aliquid possumus diuinare, vel animus noster futura prospicere valet.

Quæ sunt præternaturalia? R. Quæ caussas physicas non habent, Et sunt duplicia: Diuina, & diabolica.

Quæ sunt diuina? R. Quæ vel Deus per se, vel per angelos mentibus immittit, habéntque certum testimonium, quòd à Deo sint. Siracides 34: Si non fuerint ab altissimo monstrata somnia, nihil iis tribue.

Quæ

Quæ ſunt diabolica? R. Quæ per malos & impuros ſpiritus immittuntur mentibus hominum, qualia ſunt lamiarum, magorum, & aliorum impiorum hominum.

Caput XXI. De immortalitate.

QVomodo probas, Animam eſſe immortalem? R. Duobus modis: ex ſacræ Scripturæ & Philoſophorum ſaniorum teſtimonijs.

Recita teſtimonia ſacræ ſcripturæ? R. Matth. 10. Chriſtus inquit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam verò occidere nequeunt.

Ioh. 3. Qui in filium Dei credit, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioh. 11. Qui credit in me, non morietur in æternum. Chriſtus Latroni dixit: Hodie mecum eris in Paradiſo.

Stephanus dixit: Domine Ieſu, accipe ſpiritum meum.

Paulus deſiderio deſiderat eſſe cum Chriſto: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

Dauid Pſalm. 97. dicit, Dominum ſeruare animas Sanctorum.

Iob. 9. Scio, quòd Redemtor meus viuat, &c.

Gregor. lib. 4. Dial. Tres vitales ſpiritus creauit omnipotens Deus: vnum qui carne non tegitur: alium, qui carne tegitur, ſed cum carne non moritur: tertium, qui carne tegitur, & cum carne moritur. Primus Angelorum, ſecundus hominũ, tertius brutorũ. Bernhardus de reſurrectione: Oculis tuis videbis impiorum retributionem.

Recita Philoſophorum & Gentilium teſtimonia? R. fiet. Manil. lib. 4.

An dubium eſt, habitare Deum ſub pectore noſtro;
In cœlumq; redire animas, cœloq; venire.

Cicero: Infra Lunam nihil eſt, niſi mortale & caducum, præter animos, munere Deorum hominum generi datos.

Idem in Catone maiore ait: O præclarum diem, cùm ad illud animarum concilium, cœtúmque proficiſcar, & cùm ex hac turba & colluuie diſcedam!

Idem in Somnio Scipionis: Imò verò, inquit, ij viuunt, qui ex corporum vinculis, tanquam è carcere, euolarunt: veſtra verò quæ dicitur vita, mors eſt.

Phocylides: Non inimica nocent animæ, mors atque ſenectus.

Plura commemorare deſino.



Ne charta hæc otioſa eſſet, affectionum quarundam corporis humani ſpecies ſubiunxi.

Quid eſt Ephialtes? R. Eſt, cùm quis inuadi ſe atque premi ab aliquo, vel à graui pondere, credit.

Quando accidit? R. In ſomno, ex vaporibus craſſis & humidis, caput aſcendentibus, cerebri ventriculos replentibus, & meatus eius obſtruentibus, vt ſuffocari ſe quis autumet.

Quomodo fit Epilepſia ſeu morbus caducus? R. Fit ex craſſo lentóque pituitæ humore, meatus ſpirituum in cerebri ventriculis obſtruente. Vnde neruorum principium ſeipſum quatit, quò id, quod noxium eſt, expellat, ex quo tanta confuſio omnium corporis partium exiſtit.

Quid eſt Apoplexia? Eſt ſubita ſenſus, & motus totius corporis, vel partium quarundam priuatio, facta ex ventriculorum cerebri, & meatuum oppletione, per quos ſpiritus animales, ſenſitiui & motiui, ad vniuerſum corpus tranſmittuntur. Oritur ex frigido, craſſo, lentóque cerebri humore, ventriculos ſemel & cumulatè replente.

Quid eſt Paralyſis? Eſt membrorum particularis reſolutio. Vbi alterum latus, dextrum vel ſiniſtrum, ſenſum ſimul & motum amittit, vel vna pars corporis. Oritur à multis lentis humoribus, neruos obſtruētibus, qui impediunt, ne animalis facultas à principe parte ad membra delabatur.

Quid eſt Spaſmus? R. Eſt neruorum & muſculorum conuulſio. Danicè, Krampe. Oritur vel ex plenitudine vel inanitione neruoſarum partium, quæ vt humiditate extenduntur, ita contrà ſiccitate contrahuntur.

Vnde eſt tremor? R. Ex neruorum imbecillitate, quæ ex frigidi, craſſi, lentíque humoris abundantia, vel ex copioſiore vini vſu fit, vt in bibonibus videre eſt.

Vnde eſt Cephalia? R. Is morbus oritur, vel ex calore, vel frigore, ſiccitate, aut humiditate, ex bilioſis & pituitoſis humoribus, è ventriculi vitio, ex ebrietate, vel ex ictu, vel caſu.

Vnde raucitas? Ex humore, ad guttur vel arteriam aſperam deſtillante; interdum ab ambiente frigore excitatur, interdum ex calore ambiente caput, humoréſque diſſoluente, vt deſtillare cogantur.

Vnde Sternutatio? Illa ex calore aut humore mordace, à capite defluente, oritur: Vbi effectus quidem bonus eſt, ſed cauſſa eſt mala, quia contingit ex cerebri oppletione.

Vnde Odontalgia? Ex calida & frigida intemperie: Nonnunquam etiam ex humorum in radices dentium defluxu, qui ſua acrimonia dentes rodunt, & quaſi inflammant.

Vnde Angina? Ex copioſo ſanguine calido, ad hunc locum confluente.

Quid eſt Febris? Eſt calor, præter naturam immodicè auctus, in corde, in arterijs, in humoribus, vel ſolidis partibus.

Quæ ſunt cauſſæ febris? Primò, vehemens motus tum corporis, tum animi, vt ira, cura, mœror, & quies immodica.
2. Putrefactio humoris, facta ex obſtructione, vbi calida & fuliginoſa excrementa, non difflata, ventilantur. 3. Edulia acria, ſalſa & maligna, quæ humores corrumpunt, & à ſtatu naturali deducunt.

Quid eſt Lienteria? Cùm inteſtina cibum non retinent. Oritur inter-

interdum ex imbecillitate & languore facultatis, cibos in ventriculo retinentis, aluo perpetuò fluida & humente.

Quid Dysenteria? R. Est exulceratio intestinorum. Oritur à fructuum commestione, à cruditatibus, ab humoribus mordacibus & acribus, confluentibus ex toto corpore ad ventrem.

Quid est Colica Paßio? R. Est dolor in laxiore intestino, quod Colum vocatur. Ex crassis & pituitosis humoribus, vel ex flatulentis spiritibus in Colo, qui egredi nequeunt, vel ex inflammatione oritur.

Quid est Iliaca, volulus? R. Vbi circa vmbilicum dolor sentitur; vulgò miserere mei: grauis & lethalis dolor, ex ciborum cruditate & corruptione fit: Et maximè ex pinguium carnium esu, obstructionem in tenui intestino efficientium.

Quid αἱμοῤῥοΐδες? R. Explicationes venarum in ano disseminatarum; Ex fœculenti & melancholici sanguinis copia eò defluente accidit.

Quid est icterus? R. Est vesiculæ fellis obstructio, ita vt fel recipi nequeat, sed aliò deriuetur. Danicè, Gülle Süige.

Hydrops vnde? R. Ex insigni jecoris, ventriculi, lienis & intestinorum frigiditate caussatur.

Tußis vnde? R. Ex frigida organorũ, respirationi seruientiũ, intemperie, vel ab humoribus ad asperam arteriam destillantibus.

Vnde Tabes? R. Ex fluxu acrium & erodentium humorum à capite in pulmones. Hic morbus difficulter curatur. Sünge Süige.

Pleuritis vnde? R. Ex copioso sanguine & calido, membranam costas cingentem inflammante.

Lipothymia vnde? R. Ex spirituum resolutione, illæso auditu, visu, loquela, & notitia.

Ructus vnde? R. Ex ciborum corruptione, à frigore, aut pituitosis humoribus in ventriculo.

Nausea vnde? Ex vitioso humore, calido aut frigido, in ventriculo retento.

Singultus vnde? R. Fit ex plenitudine vel inanitione ventriculi: Mouetur ventriculus, & conatur noxia expellere.

Calculus est dolor, vel in lateribus, vel circa genitalia. In lateribus, ex calculo renum: circa genitalia ex vesicæ.

Quid est podagra? R. Est morbus articularis, pedes præcipuè infestans, alijs cum calore, alijs cum algore: cui diuites & otio torpentes maximè implicantur.

Plures affectionum species industrius Lector ex Medicorum libris, ex professo has tradentium, petat.

Atque hæc de partibus hominis principalioribus dixisse, sufficiat.



